



LIBER PRIMUS LOGICAE
DE IDEIS, EARUMQUE SIGNIS
SEU VOCIBUS.

P A R S I.

DE IDEIS.

C A P U T I.

IDEAE NOTIO EXPONITUR.

§. I.

*Quid ideae nomine intellexerint
scholastici?*



Ideam Peripateticoscholastici dicebant
quandam rei imaginem, quam in-
tuendo mens rem ipsam ex illorum
sententia adprehendit; eamque a mente non mi-
nus, quam re ipsa distingui asserebant; Unde,
qui

qui ipsam quoque mentis adprehensionem ideam vocare coeperunt , ideam in formalem & objectivam divisere. Verum ejusmodi imaginem , quae tam a mente , quam a rebus distincta sit , nonnisi in scholasticorum cerebro existere , vereque absurdam esse suo loco demonstrabimus : unde nec data ideae divisio subsistit , sed mere scholastica , id est , imaginaria est.

§. 2.

Idea quid sit.

Ideae nomine illam mentis nostrae cogitationem passim intelligunt , qua quid nobis representamus nude , nihil de eo affirmantes aut negantes. Unde definiri in scholis idea solet , quod sit *aliquis in mente representatio sine affirmatione & negatione.* Idea igitur a mente non distinguitur , sed mens ipsa est quidpiam sibi representans : illud vero , quod a mente exhibetur , ideae objectum esse dicitur.

§. 3.

Idearum differentia.

Ideae inter se differunt vel ratione originis vel ratione objecti , vel ratione ipsius denique representationis : unde habentur variae idearum divisiones , quas distinctis capitibus seorsim nunc expemus.



CA-

C A U T I I.

DIVISIO IDEARUM RATIONE ORIGINIS.

§. 1.

Divisiones idearum ratione originis in scholis receptae.

Ideas ratione originis in adventitias, factitias & innatas alii, alii omissis innatis in adventitias &, ut ajunt, fictitias dividunt.

§. 2.

Divisio nostra idearum ratione originis.

Nobis omnis idea ratione originis vel intuitiva est seu talis, quae ex rerum intuitu vel per sensus immediate adquiritur, vel rationalis, ut quae ex intuitivis mediante scilicet attentione, abstractione, reflectione &c. in nobis formatur. Ut tamen, quae in data divisione occurront, a Tyronibus quoque intelligi queant, quaedam hic de animae facultatibus ex Psychologia subjiciimus.

§. 3.

Mentis humanae facultates.

Facultates animae (illas hic solum attendimus, quae ad cognitionem pertinent) in superiores & inferiores dividunt. Ad inferiores revocant sensus, imaginationem, abstractionem (sensualem scilicet) fictionem, memoriam pariter sensualem. Superioribus attentionem, reflectionem, rationem &c. comprehendunt. De singulis seorsim differemus.

§. 7.

§. 4.

De sensibus, eorumque distinctione.

Sensus est facultas animae percipiendi objecta extra nos posita, mediante mutatione facta in organo proprii corporis, ac pro diversitate organorum in corpore humano quintuplex distinguitur, sensus scilicet visus, auditus, gustus, odoratus & tactus.

§. 5.

Quid sit sensatio, & quae nam ad eam requirantur?

Est igitur sensatio perceptio rei extra nos positae mediante mutatione facta in organo proprii corporis: atque ex his porro intelligitur, ad omnem sensationem tria necessario requiri. 1. Ut fiat quaedam ab objecto extra nos positio mutationis in sensorio nostri corporis. 2. Ut motus in organo factus transmittatur usque ad cerebrum, quod nervorum ope fieri ex Anatomia constat. 3. Ut mens ipsa inde adficiatur, quae mentis affectio proprie sensatio est, duo vero priora ad eam necessario requiruntur.

§. 6.

Quid conscientia seu sensus intimus?

Quando mens ejusmodi mutationem seu affectiōnem in se fieri advertit conscientiam logicanam seu sensum intimum habere dicitur. Est igitur

igitur conscientia logica seu sensus intimus (ad perceptionem Leibnitiani vocant) conscientia eorum, quae intra nos contingunt, affectionum scilicet seu modificationum animae nostrae,

§. 7.

An ad sensationem requiratur conscientia?

Ad sensationem quidam necessario requiri conscientiam contendunt, aliis id contra negantibus. Cogitationibus saltem accenseri posse mentis affectionem, quae sit sine conscientia (an talis esse possit, hic non disputabimus) nobis non videtur.

§. 8.

Quid sensus internus?

Asensu intimo non immerito quidam distinguunt sensum internum, quem esse dicunt facultatem idearum nostrarum habitudinem confuse percipiendi: eumque multiplicem esse afferunt sensum scilicet boni, veri, pulchri &c,

§. 9.

Quaenam sensibus a nobis percipi possint?

Ut igitur sensibus aliquid a nobis percipiatur, id nobis certo modo praefens sit, necesse est; cumque nihil nobis suo modo praefens esse possit, quin existat, intelligitur non nisi existentia sensibus a nobis percipi posse: ac cum omne porro

porro existens singulare sit & individuum ; manifestum est, singularia esse & individua, quae sensibus a nobis percipiuntur.

§. 10.

*Sensationes an, & in quantum sint
in nostra potestate?*

Non equidem negari potest, penes hominem non esse, an & in quantum facta ab aliquo objecto mutatione in organo proprii corporis mens inde adficiatur ; cum saepe invitus affectionem in se fieri experiatur : in tantum tamen sensationes in hominis potestate jure esse dicuntur , in quantum nimirum , ne mutationes in organis corporis fiant, potest praepedire. Imo sensationes etiam jam factae hominis arbitrio suo modo adhuc subsunt, quatenus nimium animum vel eis advertendo vel ab eis avertendo , easdem vel vivaciores reddere potest fortioresque , vel debiliores.

§. 11.

Notandum adhuc circa sensationes.

Circa sensationes autem hic adhuc notare necessum duximus , quod nimium proprie loquendo non sentiamus nisi certam affectionem animae ex praesentia objecti mediante mutatione in organo facta in nobis subortam , ac varie modificatam , quodque ista affectionis modificación ab organorum & medii non minus , quam objecti dispositione dependeat , atque ad ipsum proinde objectum non possit continuo referri.

§. 15.

§. 12.

De imaginatione,

Per imaginationem repraesentationes eorum, quae sensibus alias jam percepimus, in nobis reproducuntur. Est igitur imaginatio reproductio repraesentationis per sensus alias adquisitae. Sic, si amicum modo quidem absentem, ex diuturna tamen familiaritate cognitum mihi denuo repraesentem, & quasi praesentem in cogitationibus meis fistam, eum mihi imaginari dicor.

§. 13.

Differentia imaginationis a sensatione.

Asensatione differt imaginatio 1. quod sensationis objectum nobis praesens esse debeat §. 12., imaginationis non ita. Per imaginacionem enim objecta vel maxime a nobis remota repraesentamus, & runc quidem absentia ceu praesentia nobis in cogitationibus nostris fistimus. 2. quod imaginationes plerumque debiliores sint sensationibus. Vigilantes equidem sensationem inter & imaginationem ope sensus intimi satis discernimus, in somnio tamen, & quandounque sensus intimi utsus praepeditur, contingere potest, contingitque, ut imaginationes cum sensationibus confundamus, quodque nobis imaginatur solum, id nos vere sentire nobis videamur. Illusiones ista phantasiae vocantur.

§. 14.

Leges imaginationis. Ideae associatae,

Repraesentationes autem objectorum absentium per imaginationem secundum certas leges in nobis

nobis reproducuntur: sic, si quae aut simul represe-
natum, aut illa ipsa sibi similia sunt, & eorum unum,
per sensationem sive sit, sive per imaginationem,
denuo representetur, alterius quoque representa-
tio per imaginationem reproducitur: & istae qui-
dem leges naturales sunt, ac a nobis minime depen-
dent, ita, ut per imaginationem ideae in nobis re-
producantur plerumque praeter, imo saepe contra
voluntatem nostram. Possumus tamen & ex indu-
stria per imaginationem ideas in nobis reproducere.
Ideae, quae se dicta ratione in nobis invicem
excitant, ad sociatae, legesque, secundum quas una
alteram excitat, leges ad sociationis vocantur.

§. 15.

Quenam ista usum habeant?

Ex legibus ipsis explicari praeprimis potest Suc-
cessio representationum in somnio seu som-
niiorum. Sed & aliis, isque summi momenti
usus est istorum legum in Psychologia & Phi-
losophia morali: etenim quasi clavem ista ad
referanda cordis humani arcana nobis praebent,
quo secretiores attentionem nostram praeverten-
tium inclinationum, affectuumque causae detegan-
tur. Quae de ideis praedominantibus ratione
horum Auctores differunt, non abs re sunt;
Tyronum tamen captum forte superabunt, ut-
pote qui ad reflectendum super ea, quae in ipsis
contingunt, animae scilicet affectiones satis ad-
huc dispositi non sunt.

§. 16.

De abstractione & Fictione.

Imaginationis duae quasi soboles sunt abstra-
ctio (intellige) sensialis, & fictio. Illa pars
solum

solum illius, quod per sensus perceptum est, per imaginationem reproducitur: hac vero, quod in diversis sensationibus perceperimus, imaginando combinamus. Fictionibus potissimum utuntur Poëtae.

§. 17.

De memoria.

His adhuc adnumerant memoriam, quam definiunt, quod sit facultas ideas quascunque intuitivas seu per imaginationem seu per sensationem in nobis reproductas recognoscendi pro eis, quas alias jam habuimus. Antonius Genuenensis *Lib. i. artis logicocrit. Cap. i. §. 14.* inter nobilissimas animae dotes memoriam recenset, eamque exponit, quod sit facultas ea ad animum revocandi, quae alias fuerunt percepta aut cogitata. Verum nos istam animae facultatem cum aliis reminiscentiam adpellamus: ea scilicet perceptiones in nobis quasi obliterate studio & ex industria mediantibus nimirum variis circumstantiis recuperantur.

§. 18.

Divisio facultatum in superiores & inferiores.

Facultatibus istis modo enarratis, quas inferiorum nomine comprehendunt Auctores, anima percipit objecta, quae & in quantum organa sensusque nostros adscipient: unde ideae ad eas pertinentes, quia per sensus, & ex rerum quasi intuitu a nobis adquiruntur sensuales, intuitivae, & quia objecta sub speciebus sensibilibus exhibent, phantasticae, non purae, a nonnullis etiam ideae simpliciter vocantur. Verum praeter eas

aliis anima nostra facultatibus gaudet, talibus nimirum, quarum ope aut ea cognoscit, quae sensibus minime percipi possunt, aut in illis, quae sensibus quidem percipiuntur, ejusmodi tamen distinguit, quae, cum sensibus obvia non sunt, nec sensibus quoque possunt internosci. Et hac quidem ratione, mediantibus inquam hisce facultatibus, quas ideo superiores seu intellectum uno nomine vocant, cognitiones altissimas rerum a sensuum perceptione remotissimarum adquirit homo: quas cognitiones, utpote cum earum objecta, quae sub imagine exhiberi nequeunt, symbolis seu signis exprimantur, symbolicae vocantur: intellectiones alias, ideae purae, rationales, notiones etiam simpliciter dici confuerunt.

§. 19.

De facultatibus animae superioribus, ac primo quidem de reflectione.

Quanquam nihil nobis magis praesens sit, quam anima, & quae in ea contingunt, ejus scilicet affectiones, modificationes; non est tamen fere aliud quid, in quo quasi caecutiamus magis, turpiusque hallucinemur, quam si has ipsas animae nostrae modificationes facultatesque, & speciatim, de quibus nunc loquimur, superiores exponere adtentemus. Systernata hoc de arguento tam inter se diversa, sibique contrariantia sunt, ut vix spes sit, fore, ut haec satis dilucide unquam, eoque ordine, quo curiose inquirentibus satis fiat, exponantur. Sed nec istud forte necessarium est. Id igitur solum hic tentabimus,

mus, num quid Tyronibus saltem non inutile poterimus proferre. Quemadmodum vero, quandocunque homo in cognoscendo facultatibus superioribus utitur, id cum conscientia simul & intentione fiat, sic non inepte forsitan ceu nota facultatum superiorum characteristica statueretur, conscientia cum intentione conjuncta: est enim reflectio, quam inter facultates animae Superiores primam numeramus, cuique reliquas inniti Feder §. Log. 14. ait, adtentio per singulas aut compositi partes, aut ideas plures inter se connexas ea intentione (sine conscientia haec esse nequit) continuata, ut aut singulae compositi partes, aut idearum inter se connexarum relationes melius cognoscantur. Quid autem sit adtentio, ex sensu intimo melius, quam per verba discimus.

§. 20.

Reflectione multum ampliantur cognitiones nostrae.

Quodsi nunc, quae reflectendo, quasi percurrimus, abstrahendo singula seorsim representemus, tot quasi novis cognitionibus instruimur, quas ad se rursus referendo novas earum ad invicem relationes detegimus. En jam satis uberem multarum cognitionum fontem, quarum objecta, cum sensibus percipi haud quaquam possint, signis notamus, ut ita saltem sensibus eadem subjiciamus.

§. 21.

De ratione.

Ratione rerum nexum perspicimus, seu ratio illa mentis nostrae facultas est, qua cognitio

uno aliud cum eo connexum cognoscimus. Dari vero ejusmodi facultatem in homine, qui inficietur, ego saltem puto esse neminem. Et certe si vel ipsam nostri, animaeque nostrae cognitionem, modumque, quo illam adquisierimus, sine praecordio examinare voluerimus, eam in nobis aliter, quam per rationem, a modificationibus scilicet ad illarum subiectum concludendo, formatam non fuisse, facile convincimur. Hac igitur mentis nostrae facultate naturae arcana penetramus, rerum causas a sensuum perceptione plane remotas detegimus: ipsumque adeo hujus universi Auctorem Deum cognoscimus: imo, quod ait Apostolus *Rom. Cap. 1, v. 20.* sempiterna ejus virtus & Divinitas intellecta a nobis conspicuntur. Tyronibus ista ad intelligendam idearum divisionem ratione originis in intuitivas & rationales sufficere posse existimamus: unde ad aliam nunc, quae est ratione objecti, transgredimur.

C A P U T III.

DIFFERENTIA IDEARUM RATIONE OBJECTORUM.

§. I.

Divisio ideae in sensualē & intellectuālē.

Objecta idearum nostrarum omnia vel sunt ejusmodi, ut sensibus a nobis percipiantur; vel talia sunt, ut ab eis sensus nostri adfici haud quaquam possint. Est igitur prima idearum nostrarum divisio ratione objecti in sensuales & intellectuales.

Non

Non ignoro equidem, divisionem istam a quibusdam impugnari arguentibus, eam non esse ratione objecti; utpote cum objecta minime quidem in se sensibilia sub speciebus tamen sensibilibus queant exhiberi, quales objectorum insensibilium sub speciebus sensibilibus exhibitiones ideas per species alienas vocant. Verum de ideis ejusmodi per species alienas aliud nil scimus, quam quod absurdum sint scholarum figuratum.

§. 2.

Divisio idearum in concretas & abstractas.

Objecta porro ista vel nobis ita repraesentamus, ut nihil plane in eis discernamus, vel plurima, quae in quolibet ejusmodi objectorum (de singularibus, seu vere existentibus nos loqui planum est) distinguenda occurunt, ab invicem discernimus, unumque sine alio nobis exhibemus. Inde et divisio idearum in concretas & abstractas: abstractis scilicet unum sine alio in eodem nobis repraesentamus, in concretis vero omnia quasi in cumulo percipimus.

§. 3.

Dicta declarantur.

Ut vero, quae dicta sunt, vel a tyronibus quoque Logicis, utpote quibus nova haec & peregrina sunt, possint intelligi; sequentia ab eis probe notari volumus: nimirum sentiendo primum objecta sensualia percipimus, nihil dum in eis discernendo: sic infans, postquam pomi

noimen didicit, pomum videt, pomum tangit, pomum gustat, verbo: quidquid in pomo sentit, pomum dicit: & ita infans, & quisquis alius pomum hoc modo sibi repraesentat, ideam pomi in concreto seu concretam habet. At reflectendo tandem super sensationes nostras experimur, ab uno eodemque objecto diversimode nos adfici, & ita quasi multa in uno v. g. pomo distinguimus, tot scilicet, quot inde sensationes diversas habemus, eaque qualitates ejus physicas, seu sensibiles adpellamus. Quae, si nobis exinde seorsim unum sine alio repraesentamus, abstractere dicimur: & ideae, quibus ita unum sine alio nobis exhibemus, abstractae vocantur. Exemplum, quo ad ista declaranda usum, ad cognitionem quidem sensualem pertinet; sed nec in intellectualibus abstractioni minus locus est; imo vel ipsa sensualia sub determinatiōnibus abstractis mere intellectualibus non raro exhibemus.

§. 4.

Quisnam abstractionis usus sit?

Abstrahendo equidem, quod ex dictis patet, objecta inter se unita, seu, ut verius dicam, objectum vere unum idemque in plura quasi per mentem dividimus: etenim nec qualitates istae physicae, de quibus modo diximus, nec caetera, quae abstrahendo ab objectis quasi separamus, & ita separata seorsim unum sine aliis repraesentamus, vel a se invicem, vel ab objectis ipsis vere & reipsa distinguuntur, sed ipsum objectum sunt varie solum modificatum seu determinatum, unde & modifications

cationes seu determinationes objectorum vocantur, quo nomine ad ea significanda in sequentibus saepius adhuc uteatur. Interim iste representandi modus nec fundamento nec usum caret amplissimo; est enim quasi uberrimus nobis plurimarum cognitionum fons, eique ceu basi innititur cognitionum nostrarum perfectio, ut ex subsequentibus melius patebit.

§. 5.

De ideis singularibus & universalibus.

Ideae porro ratione objectorum in singulares & universales dividuntur: estque idea singularis, quae objectum in concreto, id est, vere existens, singulare ac omnimode determinatum exhibit: idea contra universalis nobis illa est, qua determinationes ab objectis singularibus, quibus illae communis seu in quibus similes sunt, abstractae considerantur. Abstractioni igitur innituntur ideae universales: imo ideae potius abstractae omnes universales sunt, utpote cum determinationes quaecunque seorsim sine aliis consideratae pluribus convenient: sicuti contra determinationes omnes cuiuscunque demum objecti realis, in concreto seu simul sumtae, ipsi soli ita sunt propriae, ut praeter illud nulli alteri possint convenire: unde definitionem querundam ideae universalis, qui ideam universalem illam esse dicunt, qua plura possunt exhiberi singularia seu inferiora, ceu contradicentem rejicimus.

C 5

§. 6.

§. 6.

Determinationes in concreto, seu objecti singularis quaenam sint?

Determinationes in concreto, seu objecto cui cunque reali, vere existenti proprias, & per quas illud seu tale cognoscitur, philosophi quidam sequenti comprehendunt versiculo:

forma, figura, locus, tempus, stirps, patria, nomen.

Verum tamen determinationes istae omnes simulque sumtae fere praeter hominem nulli convenient, nec praeter has multas adhuc alias in homine detegere difficile est.

§. 7.

Ideae universalis comprehensio & extensio.

Circa ideas universales adhuc observandum est, quod nimur in eis duo jure distinguantur, comprehensio scilicet & extensio. Per ideae universalis comprehensionem denotantur determinationes in idea universalis repraesentatae: extensio nem vero constituant plura illa, quibus determinationes in idea universalis repraesentatae communes sunt, quaeque ideo ejus inferiora seu subjecta in scholis vocantur: cumque ideae universalis extensio augeri possit vel minui (augetur autem, quando minuitur comprehensio, & quando comprehensio augetur, minuitur) factum est, ut inde quidam inter ideas universales ordo sit constitutus, vi cuius sibi invicem subordinantur ita, ut aliae superiores, inferiores aliae dicantur.

§. 8.

§. 8.

De ortu idearum universalium.

Quid de idearum universalium origine, seu
ortu, de quo tanta haec tenus contentione a
philosophis disputatum est, sentiamus, ex dictis
cuique manifestum esse potest: ac nihil certe aliud,
quam quod ait. Feder §. 21. *Log.* nimis
quod, si etiam ceu plane certum & indubitatum
propugnari nequeat, ideas universales ex intui-
tivis mediante scilicet abstractione in nobis for-
mari, eas tamen hac ratione in nobis oriri pos-
se, jure defendatur. Cur ergo eas nobis innatas
esse dicamus, praesertim cum id nullis rationi-
bus sat firmis evinci possit. Quodsi nunc porro
perpendamus, quod, qui sensu quodam caret,
is notionibus simul objectorum universalibus de-
struatur, quae ad illum sensum pertinent; sic
homo a nativitate caecus lucis aut coloris ideas
non habet: & quas, putas, haberet, si sensibus
omnibus privatus esset? adhaec quid prodesset
homini ideas habere innatas, nisi vocabulorum
simul scire significationem ipsi sit congenitum?
vocabus enim illas nobis exprimimus, earumque
vere significata sunt. Habeat igitur, per me
licet, aliquis ideas omnes universales sibi conge-
nitas! loquar autem ego ipsi de justitia, vel
aequitate, quo modo me intelliget? adhibendo
ideam suam innatam? sed quamnam? plures enim,
imo, ut subponimus, universales omnes innatas
habet. Ut igitur me intelligat, ut sciat, de quo
loquar, ut eam cum voce a me prolata notionem
conjungat, quam ego & alii cum illa conjungimus,
quid agendum? vocis significationem deber-

edo-

edoceri ; at quo modo illam docebitur ? nonne ad sensationes sive internas sive externas eundem reducendo ? ex sensationibus igitur vocis significationem, seu significatum potius intelliger : id est, velint, nolint adversarii id fateri , notionem adquireret. Sed nec quid sint notiones istae innatae, unquam poterit mente comprehendendi : notiones enim seu cognitiones esse dicuntur eorum, quae nondum novimus, & nunquam forte cognoscemus : quot enim sunt eorum, qui quid ens in genere, quid substantia & quid sexcenta alia abstracta , quorum notiones innatae esse dicuntur, nunquam scire, nec unquam scient ? sed verba , ais , nesciunt , vocabulorum significationes non intelligunt , notiones tamen habent. Verba igitur addiscant illi , notionem interim adquiram ego.

§. 9.

Hic notanda.

Interim tamen , quod bene notat Feder §. 22.

Log. si notiones seu ideas universales ex sensationibus mediante abstractione formari, adseratur, non id de sensationibus solum externis intelligendum est, sed vel maxime etiam de internis, & de conscientia, qua eorum, quae intrans contingunt, nobis sumus consci : ex his enim, ut supra jam advertimus , a modificationibus ad subiectum concludendo animae paeprimis propriae , & ita porro spiritus ideam adquirimus.

§. 10.

Divisio ideae in simplicem & compositam.

Ideas denique ratione objecti in simplices & compositas fere omnes dividunt , ita tamen, ut
in

in definitione ideae simplicis multum ab invicem dissentiant. Ideam enim simplicem alii eam esse dicunt, in qua unum exhibetur objectum, ut illud sit compositum ac in partes resolubile: alii vero ideam simplicem definiunt, quod sit illa, in qua repraesentatur objectum, quod nullis constat partibus & in se simplex est: alii demum ideae simplicis notionem magis adhuc restrinquent, illamque solum simplicem vere dici posse contendunt, quae in plures resolvi nequit, seu cuius objectum tale est, ut ne per mentem quidem plura in eo possint distingui. Cum his & nos sentimus: unde ideam compositam, quam alii diversimode, pro modo nimirum, quo ideam simplicem definierunt, determinant, dicimus esse illam, quae in plures adhuc potest resolvi. Ideam itaque eo ipso compositam esse scimus, si in ejus objecto aliqua adhuc distinguere, eamque in plures resolvere sciamus; ideam vero simplicem esse, adserere continuo non possumus, eoque quod plura in ejus objecto discernere non valeamus: in quo enim nulla nos discernimus, plura forte alias in eo poterit distinguere.

C A P U T I V .

DIFFERENTIA ET DIVISIO IDEARUM RATIONE REPRESENTATIONIS.

§. I.

Differentia idearum ratione representationis praecipua.

Ideae porro inter se differunt ratione ipsius representationis seu modi, quo objectum a nobis percipitur: estque illa inter ideas differen-

ferentia (formalem, subjectivam vocant) nota-
tu certe dignissima, & tyronibus quoque Logi-
cis scitu necessaria: ab eo enim, quo modo no-
bis objectum repraesentamus, idearum nostra-
rum perfectio pene dependet.

§. 2.

*Quomodo differant ideae ratione reprae-
sentationis?*

Differunt autem ideae ratione representationis,
aut, quod tam illius, quod percipimus, quam
ipsius perceptionis magis, minusque nobis sumus
conscii: aut, quod vel plures, vel pauciores ob-
jecti determinationes cognoscamus: aut, quod
has ipsas objecti determinationes vel confuse so-
lum & quasi in cumulo inter eas scilicet mini-
me discernendo, vel ita percipiamus, ut inter
eas rite distinguendo singulas seorsim nobis re-
praesentare valeamus, &c.

§. 3.

Quid objecti determinatio?

Ne quem tamen nomen determinationum, quo
saeppe jam usi sumus, saepiusque utemur ad-
huc, offendat, & ut tyrones etiam vocis hujus
significationem mente complectantur; declara-
mus, determinationum nomine cum Recentiori-
bus quibusdam nos omnia ea comprehendere,
quae in objecto aliquo observari aut, de eo di-
ci possunt.

§. 4.

§. 4.

Determinationes intrinsecae, extrinsecae.

Et quoniam, quae in objecto observari, aut de eo dici possunt, vel ei revera insunt, illudque ceu pars aut vere, aut secundum nostrum faltem concipiendi modum constituunt, vel quasi extra objectum reperiuntur, eique non nisi propter relationem ad alia convenient; determinatio-nes aliae, priores scilicet, intrinsecae, aliae, puta, posteriores extrinsecae vocantur.

§. 5.

Determinationes essentialis, accidentales.

Individuum, universale.

Determinationes porro vel sunt ejusmodi, ut si ne illis objectum nec esse, nec cogitari etiam a nobis possit; & sic essentialis, vel tales sunt, ut objecto modo adesse, modo autem ab eo abesse deprehendantur; & istae accidentales adpellantur. Determinationes tam essentialis quam accidentales in concreto, seu in subjecto vere existentes individuum, in abstracto vero & seorsim consideratae, quatenus pluribus individuis communes sunt, universale constituunt. Individuum itaque existit, reale est, ac omnimode determinatum. Universalia non existunt, sed individuorum determinationes sunt per mentem ab eis abstractae, possuntque magis, minusque determinari.

§. 6.

Species, genus, differentia.

Comprehensio determinationum essentialium omnium essentia, addimus, tota dicitur. Indivi-dua

dua quibus tota essentia communis est, ad eandem speciem seu classem revocantur, & ipsa quoque essentia tota, seu comprehensio determinationum essentialium pluribus individuis communium omnium species vocatur. Individua contra, quibus pars solum essentiae communis est, ad idem genus referuntur, & pars essentiae seu determinationes essentialies aliquae non omnes pluribus communes genus dicuntur. Determinationes demum, per quas individua ad unam speciem pertinentia ab individuis alterius speciei essentialiter differunt, differentia vocantur.

§. 7.

Quid genus proximum, genera subalterna, remotum &c.?

Cum, quod respectu aliquorum partem solum essentiae comprehendit, respectu aliorum totam essentiam possit continere; sic quod respectu aliquorum genus est, respectu aliorum species esse potest. Inde habetur universalium, specierum scilicet generumque subordinatio, quae tot divisionibus scholasticis ansam praebuit, ita, ut genus aliud proximum, remotum aliud, alia subalterna, remotissimum denique aliud seu supremum &c. adpellaretur. Similes quoque denominations in speciebus adhibuere, ex quibus famosae in scholis peripateticis categoriae coauerunt. Nimis tamen ista intricata sunt, minusque utilitatis habent, quam ut iis exponendis diu immorandum ducamus: unicum quod hic adhuc exponimus, est genus proximum, utpote cum ejus circa definitiones frequens sit usus. Est autem genus proximum,

ximum juxta definitionem in scholis receptam,
per quod definitum convenit cum omnibus, cum
quibus habet aliquid praecipuum commune.

§. 8.

Quid differentia ultima?

Differentiae porro ultimae circa definitiones in-
fra mentionem saepius faciemus; quare, quid
eius nomine intelligatur, paucis declaramus. Dif-
ferentia ultima determinationes illae dicuntur, per
quas inferiora alicujus speciei ab inferioribus alte-
rius cuiuscunque speciei essentialiter differunt &
discernuntur,

§. 9.

*Quomodo dividantur ideae ratione reprae-
sentationis?*

H_is ita praemissis ad ipsam nunc idearum divi-
sionem ratione representationis digredimur.
Dividuntur autem ideae ratione representationis
seu modi, quo objectum a nobis percipitur, primo
in claras & obscuras, distinctas & confusas. Idea
porro distincta in completam & incompletam,
determinatam & indeterminatam, item in adae-
quatam & inadaequatam subdividitur.

§. 10.

Quid idea clara? quid obscura?

Ideam claram communiter definiunt, quod sit il-
la, qua objectum, ita representatur, ut illud
D ab

ab aliis quidem internoscamus, notas tamen, per quas illud ab aliis internoscimus, seorsim nobis repraesentare, & requisiti aliis indicare non possumus. Unde intelligis ideam claram esse eam, quam jam supra cognitionem objecti in concreto esse diximus, ubi nimurum inter objecti determinationes minime distinguimus, sed eas quasi in cumulo nobis exhibemus, ita tamen, ut objectum cognitum ab aliis possimus internoscere; secus est obscura. Quemadmodum vero nullum unquam objectum cognoscimus ita, ut illud ab uno sicut aut altero internoscere haud valeamus, sic ideam omnino ac absolute, ut aiunt, obscuram non dari, & obscuritatem non esse nisi minorem claritatis gradum manifestum est. Ferber §. 17. Log. ideam obscuram esse dicit, qua determinationes solum extrinsecæ, vel negativæ etiam objecti exhibentur; ut si de Christo Domino v. g. nihil aliud scias, quam esse eum, a quo religio christiana ortum ducit; aut de religione christiana hoc solum cognoscas, quod non sit a Moyse ac prophetis instituta. Unde claram contra definit, quod sit illa, qua determinationes rei intrinsecæ, positivæ repraesentantur; sic ideam contra claram Christi Domini haberet, qui sciret eum esse Messiam in lege promissum, verum veri Dei filium, &c. religionis porro christiane ideam claram haberet, qui sciret, illam a Christo Domino institutam, per Evangelium mundo promulgatam, ac per Apostolos primitus esse praedicatam &c. Verum sic ideam claram a distinctione minus adcurate distinguit, illamque cum hac confundit, quod ex mox dicendis paret.

§. II.

Quid idea distincta? quid confusa?

Idea distincta definitur, quod sit, qua objectum ita repraesentatur, ut illud non solum ab aliis internoscere possimus, sed notas quoque, per quas illud ab aliis internoscimus, seorsim nobis repraesentare, ac requisiti aliis adsignare valeamus: quanquam hoc ultimum ad ideam distinctam non ita requiri nobis videatur, ut absque eo nunquam esse possit. In sensualibus juxta Wolffianos distinctio locum non habet, quod verum est si ad modum cognoscendi seu ad facultates animae mere sensuales referatur, secus, si de objectis sensibilibus scilicet intelligatur: nam duo objecta sensibilia duos v. g. libros ita ab invicem discerno, ut & notas per quas inter se differunt, & per quas unum ab alio internosco, possim adsignare. Quandocunque autem objectum ita solum repraesentamus, ut illud ab aliis quidem internoscere sciamus, ea tamen, per quae illud internoscimus, seorsim nobis exhibere non possumus, idea confusa est. In quocunque igitur plura non distinguimus, illius confusam solum ideam habemus, & in quo plura distinguere haud unquam possumus, illius non nisi confusam, nec unquam distinctam ideam adquirere poterimus.

§. 12.

Quid idea completa? quid incompleta?

Idea distincta tot objecti notas exhibens, quot requiruntur ad illud ab omni alio in quocunque statu, tempore, aut casu discernen-

dum, completa, secus incompleta dicitur, sic ideam v. g. hominis completam habes, si scias eum esse creaturam ex corpore organico & anima rationali physice inter se unitis constanter, incompletam vero si solum varios, qui in eo sunt, motus organicos noveris. Individua nimis multa complectuntur, quam ut eorum ideae compleiae facile haberi queant.

§. 13.

Quid idea determinata? quid indeterminata?

Idea eas praecise objecti notas exhibens, quae requiruntur & sufficiunt ad illud ab omni alio discernendum, determinata; qua vero vel plures vel pauciores objecti notae exhibentur, quam requiruntur & sufficiunt ad illud ab omni alio discernendum, indeterminata dicitur. Unde intelligere est, 1. in idea determinata determinationes objecti essentiales primarias omnes solasque, genus inquam proximum & differentiam ultimam debere exhiberi; unde idea determinata verbis rite expressa dat definitionem stricte Logicam. 2. Ideam modo esse indeterminatam, quia determinationes in ea deficiunt, modo autem quia determinationes in ea abundant; determinationes autem in idea porro abundant, aut quia in aliis jamjam continentur, aut quia ad objectum minime pertinent.

§. 14.

*Quid idea adaequata? quid inadaequata?
non datur comprehensiva.*

Ideam adaequatam definiunt aliqui, quod sit illa, quae omnes objecti partes, attributa, proprietates

prietates, relationes, verbo, determinationes objecti omnes tam intrinsecas quam extrinsecas exhibet. Sed ejusmodi idea, quam comprehensivam nos adpellamus, inter homines non datur; nec minimum enim pulvisculum, & quidquid minus, ac nostris saltē in oculis vilius est, ex integro cognoscimus, quod vel sola corporum in partes quasi infinitas divisibilitas, de qua in Cosmologia, satis evincit. Idea igitur adaequata nobis est, qua non objecti solum, sed notarum porro notas ita distinguimus, ut seorsim nobis illas exhibere valeamus; idea scilicet adaequata distincta notarum seu determinationum objecti cognitionis est: ejusque plures dantur gradus, quemadmodum objectorum determinationes in plures ultra, quas comprehendunt, & ex quibus quasi componuntur, resolvi possunt: sic species in genus & differentiam resolvitur; sed & genus rursum ceu species consideratum genus & differentiam complectitur, ac in ea resolvi potest, & hoc quidem ita pergendo, donec ad plane simplicia, in quibus plura amplius discernere non possumus, fuerit perventum.

C A P U T V.

DE DEFECTUUM CAUSIS IN COGNITIONIBUS SEU IDEIS NOSTRIS.

§. I.

Quare hic de defectuum causis in ideis agamus?

Ideas, quod saepius jam dictum est, cognitiones sunt seu representationes objectorum. Quem-

admodum vero omnis cogitationum nostrarum perfectio a cognitionis perfectione dependet; quo enim melius aliquid cognovimus, eo ab erroris periculo remotores securius de illo judicamus, ac ratiocinamur promptius; sic contra quemlibet in objectorum cognitione defectum defectus mille alii in cogitationibus nostris subsequuntur, ita ut ideae seu cognitiones objectorum imperfectae instar luridi sint fontis, ex quo judicia quaecunque falsa & erronea non minus ac inepta ratiocinia promanant. Operae igitur pretium esse existimamus, istorum defectuum causas, quantum fieri potest, adcuratius exponere, ut eorum exinde remedia possimus adsignare.

§. 2.

Defectum causae variae sunt.

Tam multiplices autem sunt defectus isti, & tam variae sunt illorum causae, ut five has, five illos sigillatim enarrare nimisum foret. Quare, ut brevitati in hisce, quantum quidem fieri potest, studeamus, ad praecipua quaedam capita omnes revocamus. In exponendis autem defectum causis ipsum cognitionum ordinem sequemur.

§. 3.

Ignorantia in qua nascimur.

Infantes nascimur omnium ignari adeo, ut tabulae nudae seu rasaे hominum animas in ortu suo adsimilare non vereantur Philosophi: ac licet, quam adhibent, similitudo minus forte adaequata sit,

sit, atque vel ideo ab aliis soleat explodi; id tamen, quod arguunt, consulta experientia veritati omnino conforme deprehenditur. Etenim quam infans ex utero materno prodiens hujus universi aut eorum, quae in eo continentur, cognitionem habet? nonne vel ipsae infantis actiones, gestusque plus, quam satis est, produnt, nova haec ei atque incognita hactenus fuisse omnia, quae modo persentisicit?

§. 4.

Sensus primus humanae cognitionis fons.

Sensuum exinde usu informes quasdam objectorum nos ambientium ideas paulatim nobis comparamus. Verum quam istae paucae sunt? Patrem matremque, & quae eundem continuo circumdant, si per annum infans discat internoscere, magnum reputabitur: sed quid ista sunt ad rerum hujus universi multitudinem? paulatim tamen & cum usu sensuum idearum quoque numerus adcrescit.

§. 5.

Sensuum limitatio.

Attramene x quo summam statim inidearum acquisitione remoram patimur, est ipsa sensuum limitatio: sensibus enim percipi non possunt, nisi objecta nobis ita praesentia, ut debita ab eis in organis fieri queat mutatio, qualis non sit, nisi in certa objecti ab organo distantia. Imo in objectis quoque nobis praesentibus multa sensuum aciem fugiunt, quae a nobis proinde minime cognoscuntur,

Defectus alii, qui a sensibus oriuntur.

Sentiendo porro non tam ipsa objecta, quam affectionem in nobis ab iis subortam, varie tamen modificatam percipimus: quam affectionem aequem, ac ejus modificationes tam ab organi ac medii, quam objecti dispositione dependere constat. Nos tamen inter ea, quamdiu solis in cognoscendo sensibus utimur, minime discernentes omnem in affectione varietatem ad objectum ipsum referimus, atque ab eo solum proficiemus, quidquid in affectione variatum comprehendimus, nobis persuasum est; cum tamen vel ipsa etiam major minorque objecti ab organo distantia haud modicam in affectione varietatem possit inducere: unde tot falsa de qualitatibus corporum physicis, de magnitudine, colore &c. judicia proumanant. Sed & quod sentiendo in objecto percipimus, non est nisi objecti qualitas, aliquid ex circa partium multitudine aut dispositione &c. resultans: at qualitates ejusmodi quam plurimae in quolibet objecto habentur, & perceptio unius alteriusve ex illis qualitatibus parum adhuc ad completam objecti cognitionem confert. Sensibus tandem exteriorem modo objecti superficiem, id est paucas qualitates in objecti superficie reperiendas confuse & in concreto solum cognoscimus. Ex quibus manifestum est, cognitiones sensuales, in quantum sensuales sunt, admodum confusas esse & incompletas: Inde tamen cum Wolffianis male quis argueret, sensibilium ideas nunquam posse esse distinctas: quod Wolffianorum praejudicium inde videtur enatum, quod in-

ter

ter cognitionem objecti sensibilis & cognitionem sensualem non distinxerint,

§. 7.

Vocabulorum abusus multorum defectuum causa.

Vocabula quoque seu eorum potius abusus multorum in cogitationibus nostris defectuum causa est. At quoniam specialiter de his infra dicturi sumus, generalia quaedam hic solum notabimus.

§. 8.

Vocabula quomodo discamus? quid nobis primum significant?

Vocabula infantes ex aliorum ore prius quam proferre nos eadem possimus, addiscimus, ac cum ideis earumque objectis conjungimus. Verum quemadmodum tunc omnes ideae nostrae singulares adhuc sunt & individuae, sensationes scilicet objectorum vere existentium, ita voces pariter omnes nobis sunt singulares, & objecta solum singularia, existentia significant. sic infans Matris nomen audiens, Matrem circumspicit, quam non nisi ex sensationibus agnoscit, nec praeter hanc suam aliam esse matrem novit. Pomum infanti nutrix porrigit, saepiusque interim, dum infans pomum recipit, illudque manu tenet, pomi nomen repetit; sic infans pomi nomen cum sensationibus praesentibus conjungit ita, ut quoties non redit, quidquid in praesenti sensatione percipit, toties nec pomum adesse putet. Unde manifestum est, pomi nomen infanti in confuso signifi-

care omne illud , quod pomo praesente sensit ,
& esse ipsi primum singulare.

§. 9.

Quomodo voces fiant universales.

Pomum exinde saepius opponitur infanti variatis hinc & nunc circumstantiis : quam varietatem infans aut plane non advertit , aut , si advertit , tandem intelligit , ad pomum non pertinere necessario omne illud , quod praesente pomo sensit , & sic constantia in pomo a variatis fecerens , ideam pomi generalem adquirit , nomenque pomi ipsi generale evadit . Quod hic de pomo diximus , idem de aliis intelligendum est .

§. 10.

Quinam exinde defectus sequantur in cognitionibus nostris ?

Voces igitur , quod ex dictis intelligitur , tantum significant , quantum , qui illis utitur , cognoscit & per illas exprimere intendit , vocum igitur significatio varia est , non solum quando a diversis adhibentur , sed eidem quoque homini modo minus modo plus significant , prout objecti , quod per vocem quis exprimit , minus , magisque completam ideam habet . Interim plerumque contingit , ut auditio vocabulo nostram continuo ideam , seu illud omne quod nobis significat , cum illo conjungamus ,

§. 11.

Defectus in cognitionibus rationalibus.

Defectus , quos hactenus exposuimus , ad cognitiones potissimum intuitivas seu sensuales perti-

pertinent, sed & quando reflectere demum ac facultatibus in cognoscendo superioribus uti incipimus, defectus porro multiplices in cognitionibus nostris deprehenduntur.

§. 12.

Mentis limitatio.

Mens enim nostra multum limitata est, ita ut plura simul cognoscere non possimus, adtentio saltem nostra per hoc valde distrahitur ad objectum rite cognoscendum adeo necessaria, juxta tritum illud: *pluribus intentus minor est ad singula sensus*. Imo non pauca sunt, quae mentis humanae captum plane excedunt, quaeque proinde supra ejus horizontem esse communiter dicuntur.

§. 13.

Impedimenta a corpore

Utut tamen limitata sit mentis nostrae in cognoscendo capacitas, id tamen non impedit, quo minus adhibita adtentione, reflectione caeterisque facultatibus cognitiones rerum altissimas adquirat homo. Et quamvis in hisce cognoscendi modis a corpore dependere mens minime videatur; est tamen inter utramque hanc hominis substantiam tam arctus pro tempore conjunctionis nexus, vinculum adeo indissolubile, ut quories suas anima vires exerit, facultatesque intendit, corpus inde lassetur, lassatumque mentem retardet: imo tot propter illud curis ac solitudinibus mens occupatur, ut vix mediationi sit locus.

Corpus (ingemiscit sapiens) Corpus, quod corruptitur

*pitur adgravat animam, & terrena inhabitatio de-
primit sensum multa cogitantem.*

§. 14.

Impedimenta a sensibus.

Sensus quoque, quam homini ad acquirendas primum rerum cognitiones necessarii sunt (sine eis enim nullas sibi rerum cognitiones posset comparare) tanto ei exinde impedimento sunt, quando, quae in confusis sensuum ideis comprehenduntur, rite distinguere, abstrahendo constantia a variabilibus separare, ac ratiocinando novas & ab his, quae sensibus percepta sunt, plane diversas sibi comparare notiones adlaborant: adtentionem enim, sine qua feliciter istuc negotium non succedit, interturbant, & ad novas has sensuum perceptiones distrahant.

§. 15.

Impedimenta ab imaginatione.

Phantasia quoque seu imaginatio hominem in adquirendis rerum cognitionibus abstractis non parum impedit, objectis enim mere intellectuilibus corporeas admisceret species, mentemque, cum eam per impertinentia vagari facit, a seria & adtentra objecti contemplatione abstrahit. Atque haec ab imaginatione profecta impedimenta eo frequentiora sunt, quo imaginatio hominem ad secretiora contra sensuum turbas asyla prosequitur.

§. 16.

§. 16.

Phantasia unde vim suam habeat?

Phantasia autem vim suam a corporis temperie, seu varia humorum mistione in corpore humano accipit. Temperamentum vocant Medici, & quadruplex distinguunt, phlegmaticum scilicet, sanguineum, cholericum, & melancholicum. cl. Ferber §. 16. Log. de Categoriis Arift. cholericum, quod studiis communiter aptissimum reputatur, categorice exponit. Quernadmodum vero hominis temperamentum a cibi potusque tam quantitate quam qualitate, & ab omnibus demum, quibus ad nutriendum corpus utitur, dependet: sic ista pariter omnia ad augendam vel minuendam phantasiae vim conferunt.

§. 17.

Impedimenta ab affectibus inordinatis.

Multum quoque idearum perfectioni obsunt affectus inordinati: adtentionem enim pariter avertunt, & mentis acumen retundunt. Nam, qui aut nimia seu gestiente laetitia, amore, desiderio &c. laborat, animum nullis applicare studiis, nec seriae objectorum contemplationi vacare potest. Mens enim per arctum illum eam inter & corpus nexus a vehementioribus semper impressionibus abripitur: raro autem seu ferre nunquam vividiorem amor veritatis, quam affectus, impressionem facit; corruptionis istamen effectus est. Mentis quoque acumen retundunt affectus inordinati, eamque ad abstracta contemplanda ineptam reddunt: immo quidam

egrum

eorum hominem pene amentem efficiunt, veluti
ira timor, stupor &c. nisi dicendum sit potius,
omnes affectus, dum maxime fervent, brevem
esse insaniam seu amentiam.

§. 18.

Defectus qui, a sciendi libidine oriuntur.

His tandem omnibus accedit infinita quaedam
sciendi ac praे aliis eminenti libido, quae ho-
minum animos passim occupat, nobisque quasi
connata est, ex qua innumeros in cognoscendo
defectus oriri necesse est. Cognitiones enim re-
rum, sicuti res ipsae ab invicem dependent ita
ut cognitio unius non habita cognitione alterius
adquiri prorsus nequeat. Alia vero mentis no-
strae captum plane excedunt adeo, ut omni ad-
hibito conatu ad eorum cognitionem pertingere
non valeat homo. Ad omnem tandem cujuscun-
que objecti cognitionem perfectam sedula requi-
ritur adtentio, meditatio continuata: at dicto
sciendi ac eminenti pruritu efficitur, ut in re-
rum cognitiones nullo servato ordine inquiramus,
ut inter res ipsas minime discernentes ea-
rum quoque cognitiones nobis comparare adla-
boremus, quas adsequi tamen minime possumus,
ut interrupta tandem adtentio ab uno ad aliud
cito quasi transvolemus.

§. 19.

Defectus ab educatione instructione &c.

Plurimum tandem hominem in vera rerum co-
gnitione adquirenda retardant educatio, Ma-
gistro-

gistrorum instructio, praejudicia vulgo communia &c. his enim impeditur, quo minus ideas, quas alte imbibit, rite discutiat, quaeque comprehendunt impertinentia saepe etiam repugnancia, cognoscat.

C A P U T V I.

DE DEFECTUUM IN COGNOSCENDO REMEDIIS, SEU MODO IDEAS PERFICIENDI.

§. I.

Ad evitandos defectus in cognitionibus nostris eorum causas habere perspectas, primum est.

Expositis hucusque defectuum causis in cognitionibus seu ideis nostris, nunc eorum quoque remedia explicare necesse est: parum enim defectus eorumque causas cognoscere nobis proderit, nisi, quibus eisdem salubriter occurri possit, remedia sciamus; quemadmodum parum sublevat aegrotum, quod morbi status constet, nisi medicum quoque paratum inveniat, qui salubribus medicaminibus morbum curare sciatur. Interim, sicuti majorem jure consequendae salutis spem concipit aegrotus, quando morbi status Medico cognitus est, quam si is eum lateat; ita cognitis quoque defectuum causis, eorum remedia multo confidentius adsignare & adhibere poterimus. Imo ad evitandos defectus in cognitionibus nostris remedium primum est, eorum causas rite perspectas habere.

§. 2.

Media perficiendi cognitiones sensuales.

Ad perficiendas vero cognitiones sensuales ceu media salutaria sequentes communiter praescribuntur canones.

1. *Sensus cum adtentione adhibendi sunt.* Hoc enim nisi fiat, impressiones solum debiles inde in nobis sequentur, quae facile iterum delentur & evanescunt.

2. *Objectum sub tot sensus redigatur, sub quot redigi potest.* Ita enim plures objecti qualitates nobis innotescunt, uberiorque reflectendi materies menti suppeditabitur, quo objectum ipsum distinctius cognoscatur.

3. *Sensationes circa idem objectum saepius repeatuntur.* Sic enim, quod in prima sensatione non percepimus, in secunda forte aut tertia a nobis percipietur.

4. *Objectum ipsum varie transponatur, nisi ipsum aliunde transponi contingat.* Sic enim ex circumstantiis loci, temporis &c. variatis colligere licebit, quid in eo constans, quid sit varabile.

5. *Composita, quantum fieri potest resolvantur, ac resoluta rursus componantur.* Sic enim melius singulas compositi partes percipiendo claram & distinctam compositi ideam nobis comparamus: ipse etiam componendi modus rite cognitus ad clariorem ac plane distinctam compositi notionem adquirendam pluriimum confert.

6. Sen-

6. *Sensuum quoque organis instrumenta & quidem, quae haberi possunt optima, adhibeantur: ita enim multa adhuc in objecto detegentur, quae organis non armatis minime percipiebantur.*

7. *Ea quoque, quae objectum nostrum aut praecedunt, subsequuntur, aut eidem coexistunt, diligenter adnotentur.*

8. Exinde reflectendo singula, quae in objecto observata sunt, adtentata mente recognitentur, & ab invicem rite discernantur, quod lignorum usū, qualia communiter adhiberi solent voces, facilius conficietur. Ad objectum rursus referantur, ut ita intrinseca ab extrinsecis, constantia a variabilibus, ab accidentalibus essentialia internosci & seorsim sine aliis repraesentari queant. Objectum ipsum cum aliis conferatur, ut quaenam ex illis, quae ipsi convenient, cum aliis communia, quaenam sibi propria habeat, dignoscatur. Adtendatur praecipue, cum quibusnam totam, & cum quibus partem solum essentiae communem habeat: ut, ad quam speciem pertineat, sub quo genere contineatur, & quae sit ejus differentia specifica, patetiat. Genus porro in ea, quae comprehendit, resolvatur &c.

Ita a posteriori seu per experientiam ideae rerum sensibilium, quae sensibus nostris obviae sunt, clarae, distinctae & completae &c. adquiruntur & ex singularibus evadunt universales. Ex quibus exinde ceu a priori alias ratiocinando deducimus. Eodem fere modo reflectendo scilicet super ea, quae sensu intimo in nobismer ipsis percipimus, ideae spiritualium perficiuntur. Aliter tamen perficiendas sunt ideae, quae ex vocibus immediate

hauriuntur, quarumque objecta per voces primum
nōbis innotescunt: in his perficiendis utimur praecipue definitione, & divisione, de quibus infra.

Sed ex his omnibus me quoque non monente quisque intelligit, ad perficiendas rerum cognitiones solertia opus esse & adtentio, ac proinde amoveri debere, quidquid aut languidum reddit animum, ejusque acumen retundit, aut adtentio, nōstram ad varia & impertinentia distrahit, veluti sunt nimia corporis cura, luxus, cibus potusque nimius & inordinatus, ludi, aliaeque voluptates, adfectus, phantasia &c.

Ne Parentum denique educatio, Magistrorum institutio, ac vulgi praējudicia in adquirendis rerum cognitionibus claris & distinctis cuidam tibi impedimento sint; ideas omnes hac ratione acquifitas tamdiu suspectas habeto, donec eas stricto examine discussas veras esse & legitimas compereris.



LIBER



LIBRI PRIMI LOGICAE

P A R S I I.

DE VOCIBUS, QUAE SUNT SIGNA IDEARUM NOSTRARUM,

C A P U T I.

DE VOCIBUS IN GENERE.

§. I.

Cur de vocibus in Logica agatur.



Cum voces, ut ante diximus, sint signa idearum nostrarum, & non raro ob suam obscuritatem idearum claritati obsint; merito de vocibus hic agendum, idque sequentes obrationes, quas quoque recenset Antonius Genuensis *Artis Logicocrit.* L. 2. c. 8. Earum prima est, eo quod magna

humanae sapientiae pars in eo sita sit, ut aliorum cogitata probe intelligamus, quod ope vocabulorum sit; sic enim aliorum quoque notitiae participes evadimus: hinc voces, earumque clara cognitio multum ad rite cogitandum conferunt. Altera est, quia Logica ad docendum quoque ordinatur, quod cum fiat usu vocabulorum, est sane, cur de vocabulis pariter rite eligendis praecipiat logicus. Tertia demum est, eoque habita vocabulorum notitia ea quoque, quae ad mentis nostrae ideas pertinent, clarissim explicentur; sunt enim ideae, cum vocabulis quasi coniunctae, & adeo colligatae, ut difficillimum sit, rerum habere scientiam absque notitia vocabulorum. Cum autem voces sint signa cognitionum & rerum, antequam ulterius progrediamur, de signis agendum.

§. 2.

Quid & quotuplex fit signum.

Signum est, quod ex cognitione sui nos in alterius cognitionem ducit, vel, ut optime ab Augustino definitur: *res praeter speciem sui, quam ingerit sensibus, aliquid aliud ex se faciens in cognitionem venire.* Advertes igitur ex positâ definitione, signum duas in nobis excitare ideas, unam sui ipsius, alteram rei, quam significat. Caeterum una res habet vim significandæ alterius propter mutuam utriusque inter se connexiōnem. Haec connexio enim quasi anima signi est, qua per rem cognitam excitatur alterius etiam rei notio undecunque adquisita.

§. 3.

§. 3.

Divisio signi in naturale & arbitratium.

Haec connexio autem vel est naturalis, quae nimirum ex ipsa rerum natura fluit: vel arbitraria, quae habetur a libera instituentium voluntate. Hinc signum pariter aliud naturale, aliud morale seu arbitrarium est. Signum naturale illud dicitur, quod ex ipsa natura sua vim habet deducendi hominem in cognitionem alterius, seu potius, quod naturalem habet connexionem cum re indicatea. Sic fumus est signum naturale ignis. Signum arbitrarium est, quod habet aliquem cum re significata nexum vel ex aliqua consuetudine, uti mappa mensae instrata est signum prandii vel coenae: vel ex mero hominum arbitrio, qui illud ceu signum instituerunt. Ut fasces erant signum Romanis dignitatis consularis.

§. 4.

Signum naturale in certum, probabile & falsum subdividitur.

Signa naturalia alia sunt certa, inter quae nimirum certo datur ejusmodi naturalis connexio adeo, ut cuivis menti adtendenti statim pateat. Sic respiratio & pulsus arteriarum est signum certum vitae, fumus est signum certum ignis. Aliæ probabilia, ubi tantum probabiliter, aut verosimiliter datur connexio inter signum & rem significatam: sic pallor vultus, aliave symptomata sunt signa probabilia morborum. Ubi autem nulla adest talis connexio naturalis, censetur tamen ex falso erroneo judicio adesse, signum falsum di-

ci potest. Vulgus enim, dum aliqua post alia evenire videt, subsequentium praecedentia signa esse putat; uti comoeta est signum falsum belli, aliarumvae aerumnarum.

§. 5.

Signum porro aliud practicum, aliud speculativum: Subpositivum aliud, aliud mere manifestativum.

Quodsi signum efficiat simul suum significatum, signum practicum audit; sic v. g. sacra novae legis sacramenta dicuntur signa practica gratiae, quam significant, & simul producunt. Quodsi autem rem, quam significant, non producit, sed prius esse subponit, signum speculativum dicitur. Nec praetermittenda signi divisio est in subpositivum, & mere manifestativum. Signum mere manifestativum est, quod quidem indicat rem, non autem pro illa substituitur, talia signa sunt v. g. fumis respectu ignis, hedera foris adpensa respectu vini venalis, fumis enim tantum manifestat ignem, non autem pro illo ponitur. Signum subpositivum dicitur illud, quod non tantum rem quomodounque significant, verum etiam substituitur pro ipsa re: talia signa sunt voces humanae, quae non tantum res indicant, verum etiam pro rebus ponuntur; hinc ea praedicata de nomine quodam dicuntur, quae non tam nomini, sed potius rei per nomen illud significatae convenient. At non tantum res, verum ipsas quoque ideas indicant & significant voces.

§. 6.

§. 6.

De signi perfectione.

Cum signum ex definitione signi superius data sit illud, quod ex cognitione sui in cognitionem alterius facit nos venire; manifestum est, signum eo esse perfectius, quo illud, cuius est signum, plenius perfectiusque exprimit, quoque ex ejus cognitione facilius completam, perfectamque significati cognitionem adsequimur. Ad signi perfectionem ultra requiritur, ut pro significato subponi & in ejus locum possit substitui, seu, ut alii exprimunt, ut theoria signi cum theoria significati eadem sit; ut nimirum, quid quid de significato dici potest, id omne de signo non minus dici queat: & ut in nostra potestate sit positum ita, ut quoties volumus, promite ac facile eo uti valeamus.

§. 7.

Quid & quotuplex sit vox.

Vox ab Aristotele *L. de anima Cap. 8.* describitur: sonus ex animalis ore prodiens & per adpulsionem aëris e pulmonibus in fauces incurrentis & adlîsi formatus. Haec definitio, quam esse geneticam infra audiemus, tam vocibus articulatis, quam inarticulatis convenit. Voces inarticulatae sunt, quae non literis & syllabis componuntur, seu adcuratius, quæ non rem quandam externam, sed potius quandam animi affectionem indicant. Tales voces inarticulatae sunt gemitus & suspiria. Vo-

ces articulatae dicuntur, quae certis ex syllabis constant, ut homo, brutum. Voces articulatae a logicis spectantur; & dicuntur *soni articulati ab homine prolati ad exprimendas mentis cogitationes.*

§. 8.

Quaenam in vocibus potissimum articulatis distinguantur?

In vocibus ejusmodi articularis varia distingui queunt. Primo sonitus, ratione cuius ad musicam spectant, item literae & syllabae, quibus constant, siveque ad grammaticam pertinent. Deinde significatio, propter quam partim ad grammaticam, partim ad logicam trahuntur. Significant autem voces imprimis cogitationes mentis nostrae, & harum plerumque sunt signa manifestativa. Deinde significant res, quae cogitatis nostris substant, seu quae sunt objecta cogitationum nostrarum. Imo etiam quaelibet voces humano more prolatae significant voluntatem generalē aliquid alteri manifestandi.

§. 9.

Divisio vocum in singulares & universales,

Quemadmodum ideae, ita & voces in singulares & universales jure dividuntur. Singulares sunt, quae rem, seu objectum vere existens, singulare, omnimode determinatum significant: universales vero, quae indicant rerum determinationes pluribus communes, Ad inveniendas ejusmodi

modi voces universales homines brevitatis studium imo necessitas quaedam permovit. Nam (ut praecclare adnotat eruditissimus Vernejus) si ad singulas res exprimendas distinctis uti vocabulis necesse foret, quis quoquo vocabulorum singulorum modus esset? quis enim omnes vel unus capit is capillos suis propriis distinguere non minibus valeat? vel unius arboris foliorum quodlibet proprio insignire nomine possit? Universaliū autem quinque species distinguauntur, genus scilicet, species, differentia, proprium & accidens. Genus, quod nomen est partem essentiae pluribus communem exprimens, triplex in scholis statuitur, infimum, intermedium & summum; eodem modo species, quae totam essentiam exprimit, alia infima, alia subalterna vocatur. Differentia determinationes essentiales denotat, per quas species una ab altera differt & discernitur. Proprium quadruplex in scholis distinguitur: at proprium, quod quarto modo dicitur, nimurum quod exprimit determinationem omnibus & solis speciei inferioribus semperque convenientem, solum vere proprium est. Accidens (quod a Porphyrio definitur, quod sit id, quod adest aut abest sine subjecti, quod adficit aut cui inhaeret, corruptione) est nomen exprimens determinationem accidentalem pluribus communem.

§. 10.

Absurda scholasticorum de universalibus doctrina.

De universalibus tot, tamque absurdā commentati sunt scholastici, tantumque eorum
E 5 abu-

abusum fecere, ut doctrina de universalibus inter ludibria scholarum pene reputata, & ab omnibus odio habita sit.

§. II.

An voces sint signa naturalia, an vero arbitraria.

De vocibus igitur ceu signis cogitationum ac objectorum cogitationibus exhibitorum quaeritur 1. An signa sint naturalia, an vero arbitraria? Quam quaestionem, utsiote cum iam inter Antiquos celebris fuerit, nec a Recentioribus quoque omittuntur, silentio non esse prætereundam duximus. Ad eam autem adecuratus disolvendam aliqua ceu certa hic praenotamus ac 1. Non diffitendum, imo certum est, esse quasdam voces, quae naturalem quandam connexionem cum iis, quae significant, habent, ast eam valde imperfectam. Sic murmur naturalem quendam nexum habet cum clamore illo, quo plures alteri obstreput: mugitus & pipitus naturaliter sonos boum & passerum exprimere videntur: at id de paucis vocabulis dici potest. 2. Certum quoque esse videtur, voces inarticulatas plerunque naturaliter significare affectionem animi: sic Ah! naturaliter significat tristitiam. &c. 3. Certum quoque est voces quaslibet articulatas naturaliter significare hominem loquentem, & voluntatem proferendi hanc vocem, alterique sua cogitata manifestandi. Voces enim sunt effectus hominis loquentis. Item sunt effectus, ut ita dicam, mediati voluntatis, qua quis determinatur ad ideam, vel cogitationem suam cum altero

altero communicandam, aut saltem talem voluntationem & cogitationem ordinarie praesubponunt tanquam aliquam necessariam conditionem. Nemo enim loquitur, nisi antea cogitaverit ea, quæ loquitur, & voluerit ea proferre. Hinc cum effectus naturaliter significat causam, ut fumus naturaliter significat ignem; sic voces naturaliter significant hominem loquentem, item ideas indeterminate suntas, item voluntatem alteri quid manifestandi, cum horum effectus dici queant. Quaestio igitur procedit, an voces significant res speciales, item ideas aut cogitationes determinatas; ad quam quaestionem Responso sequitur.

§. 12.

Statuitur propositio.

Voces non sunt signa naturalia idearum determinatarum, neque rerum, quae ideis representantur, sed sunt signa arbitraria, quae ex institutione hominum ideas sive res determinatas significant.

Probatur 1. Haec enim naturalis connexio omnino nobis incognita est & minime perspecta, consequenter absque ulla sufficiente ratione adseritur ab illis, qui eam statuunt. 2. Deinde si naturalis daretur inter vocabula & ideas speciales nexus, unde tanta vocabulorum diversitas, quibus quandoque eadem respondent ideae, eadem indicantur res? 3. Certe tanta idiomatum diversitas minime foret, si vel unius linguae vocabula

cabula omnia naturaliter res quasque speciales indicarent. Quis ergo statuat naturalem connexionem hujus vocis homo cum re significata, cum illa latine dicatur homo, germanice ein Mensch, gallice l'homme, italice huomo, graece ἄνθρωπος &c. 4. Probari potest ulterius ex mira & frequenti plurimarum linguarum variatione; multae enim linguae nunc hoc, nunc aliud eadem **vocē** indicant. Unde canit Horatius:

Multa renascentur, quae jam cecidere, cadentque,

Quae nunc sunt in honore vocabula, si volet usus,

Quem penes arbitriam est, & jus, & norma loquendi.

Hinc ex libero pender aut saltem peperdit arbitrio, qualem quisque ideam cuidam voci velit aut voluerit attribuere.

§. 13.

An voces sint signa satis perfecta.

Voces idearum, rerumque signa esse non naturalia sed mere arbitraria, haec tenus monstratum est. Unde de vocibus nunc ultra quaeritur, an signa saltem satis perfecta sint? quam quaestionem paucis ita resolvimus. Voces non significare modo, sed & pro rebus praecipue, quas significant, posse substitui, jam supra commemoravimus. Voces porro magis, quam alia quaecunque signa, quibus earum loco uti possemus, in nostra potestate sunt positae ita, ut eas facile, & quin opus sit ambagibus adhibere

bere valeamus. Unde manifestum est, vocibus ratione horum prae signis aliis perfectionem aliquam competere. Quodsi vero ipsam significandi vim, a qua signi perfectio potissimum dependet, in vocibus adtenderis, eas esse signa admodum imperfecta facile comperies: etenim

1. Cum voces signa sint mere arbitraria; non nisi ex usu & consuetudine ullam significandi vim habent, unde vocis significationem tamdiu quisque ignorat, quamdui loquendi usus ipsis perspectus non est.

2. Hic ipse loquendi usus non raro immutatur ita quidem; ut vox subinde aliam & a priori plane diversam significationem sortiatur: exemplo sit nomen magi, quod cum primo sapientem & arcanorum praecipue scientia pollentem, exinde veteratorem quendam nequissimum significavit, hominem tandem humani generis hosti arcano foedere junctum, ejusque opera & artibus mira ac vires naturae excedentia patrantem significare coepit: quod nisi caute notetur, errores inde in numeros oriri necesse est.

3. Fert usus ipse loquendi, ut vox plane eadem, eodem etiam tempore & ab iisdem adres omnino diversas significandas adhibeat: sic nomen tauri modo constellationem, modo bruti animantis speciem significat. Ejusmodi vocabula, quorum non parvus est numerus, aequivo-
ca vocantur.

4. Voces porro non semper usui loquendi conformiter a loquentibus aut scribentibus solent adhiberi, aut quia vel ipsis eum non satis mente adsecuti

secuti sunt, aut quia ab eo singularitatis studio
abrepti ultro recedunt.

5. Sectarum, systematumque diversitas diver-
sum quoque loquendi usum non raro inducit, alii-
amque vox eadem in alio systemate aut se etia signifi-
cationem habet: sic Dei nomen aliud Ethni-
co, Spinozistae aliud, & aliud tandem Christi-
ano significat.

6. Sed & voces pro eodem etiam significando
sive a variis sive ab eodem diverso tamen tem-
pore adhibitae diversam habere significationem,
ac modo plus modo autem minus possunt signi-
ficare, prout nimis illi, qui & quando voce
quadam utitur, plus minusque in objecto, quod
per vocem exprimit, cognoscit, ejusque vel per-
ficiorem vel minus perfectam notionem habet:
sic vocibus praesertim scientificis amplior ple-
rumque a Recentioribus, quam a Veteribus sig-
nificatio adnectitur, propterea quod plura in sci-
entiis, quae Veteres plane latebant, a Recentiori-
bus detecta sint. Voces enim nihil aequa prima-
rio significant quam ipsam notionem proferentis.
Et secundario solum, seu mediante notione objec-
tum seu res ipsae per voces significantur; unde
porro

7. Voces non nunquam omni significatione de-
stituuntur, si nempe nulla illis in mente proferentis
notio respondeat, vel si tales sint, ut nullus cum illis
conceptus possit conjungi, eoque opposita seu
inter se pugnantia complectantur: uti sunt scho-
larum accidentia absolute, haecceitas &c. ejusmo-
di voces, quarum insignem quasi adparatum re-
condi-

conditum habebant scholastici, mente cassae dici
confueyunt.

8. Observandum porro venit, quod vocibus etiam iis, quae proprie quidem aequivocae non sunt, secundaria quaedam significatio soleat esse adnexa, atque a propria sua significacione ad aliam impropriam soleant transferri: exemplo sint metaphorae, tropi, figurae &c.

9. Demum ex vario loquentis affectu, intentione, temporis locique opportunitate, & vel ex ipso etiam oris habitu nova quaedam significandi vis vocibus accedit adeo, ut eadem vox diversimode proleta modo decora ac officiosa sit & ridicula, modo levitatis, audaciae, contemptusque nostram habeat adjunctam.

§. 14.

Praescribuntur canones.

His circa vocabula breviter observatis, sequentes statuuntur canones, quorum primi audi entem dirigunt & legentem: ad loquenterem vero vel scribentem posteriores pertinent.

1. Vocabula non sunt primario referenda ad res ipsas, sed ad notiones aut loquentis vel scribentis, aut eorum, unde accepit, gentem, famam &c.

2. Nec ex notionibus quoque propriis interpretanda sunt vocabula, sed ex ejus mente, qui, illis utitur.

3. Ut vero vel ipsam etiam loquentis vel scribentis mentem citius adsequaris, usum prie-

mis loquendi (huic enim quisque conformiter adhibuisse vocem praesumitur, donec constet, quod ab eo ultro recesserit) auctoris peritiam, finem, tempus, locum &c. adtende.

Loquens autem seu scribens

1. Cauter evitetur voces mente cassas, aequivas, & translatas.
2. Vocibus etiam, quae jam conjunctam habent certam significationem, aliam ipse non tribuat: sed verbis utatur secundum usum & consuetudinem.
3. Nec ad exprimenda sensa vocibus utatur obscuris, confusis & indeterminatis.

§. 15.

Quid hoc conferant definitio & divisio?

His equidem circa vocabulorum usum observatis, obscuritas confusioque, quae ex vocabulorum abusu in ideis nostris oriuntur, magna ex parte auferentur. At quum vel ipsi canones hic praescripti & praesertim ultimus sine definitionum, divisionumque usu satis observari nequeant; de definitione nunc & divisione seorsim disputabimus.

C A P U T VI.

DE DEFINITIONE CEU SPECIALI OBSCURITATIS IN IDEIS AEQUE AC VOCABULIS TOLLEN- DAE MEDIO.

§. 1.

Quid sit definitio & quotuplex?

Ad idearum aeque ac vocabulorum claritatem adquirendam praeter alias canones hactenus recen-

recentios multum conferre definitionum usum, vel ex ipsa definitionis notione luculenter patet. Est enim definitio ejusmodi oratio, qua quod in nomine aut re per nomen significata obscurum est, exponitur. Unde definitio quoque duplex vulgo distinguitur, nominis nimirum alia, alia rei.

§. 2.

Quam varie definitio tam nominis quam rei exponi soleat.

Definitionem equidem eo, quo diximus, modo omnes tam veteres quam recentiores dividunt, aliam nimirum nominis, & rei aliam esse adserentes; attamen circa ipsam utrisque expositionem, mirum est, quantum inter se dissentiant: duas veteres definitionis nominalis species distinguebant: unam κατ' επωδογιαν, κατα λεξιν alteram vocabant; eamque inter & definitionem rei discrimen istud statuebant, quod definitio nominis vocis significatum utcunque; definitio vero rei per praecipua ejusdem attributa illud debeat exponere. Recentiores vero praesertim Mathematici praeceunte Ilk Wolffio ejusmodi solum rei declarationem, in qua rei genesis seu modus, quo res orta est, vel oriri faltem potest, explicatur, realem; caeteras vero quascunque rei expositiones nominales solum esse adseverant, contradicentibus tamen compluribus aliis, qui rei expositionem per attributa ejusdem praecipua definitionem non minus, ac illam, qua rei genesis describitur, quamque ideo genericam vocant, realem esse contendunt.

§. 3.

Quid definitio nominis?

Ut igitur, quid per definitionem nominis intellegamus, palam fiat omnibus, definitionem nominis primo cum etymologia male confundi adseveramus: neque ceu species definitionis nominalis considerari potest etymologia, aliud est enim nominis originem indagare, quod etymologia praestat, aliud vocis significationem declarare, quod definitio nominis docet. Nec ad definitionem nominis sufficit, quascunque significati notas adsignare; definitio enim oratio est significati notas singillatim exprimens, quae ad illud pro omni statu ac tempore agnoscendum, & ab omnibus aliis facile discernendum requiruntur & sufficiunt, verbo: definitio oratio est, sicuti supra jam monuimus, completam non abundantem, notionem inquam proprie determinatam exprimens. Id, cuius notionem exponit definitio, definitum adpellatur.

§. 4.

Definitio rei quid sit?

Per definitionem vero rei intelligimus illam, qua quando de vocis significato vere jam constat; illas, sicut modo dictum est, ejus notas adsignamus quae illi pro omni casu & tempore agnoscendo, & ab omnibus aliis facile discernendo praeccise sufficiunt. Unde intelligitur definitionem rei non minus ac nominis distinctam, completamque, ac proprie determinatam definiti notionem exprimere debere: secus non erit nisi descriptio; cumque indi-

viduo-

viduorum idae completae vix vel ne vix quidem haberi queant; in individuis exponendis non definitionibus sed descriptionibus solum locum esse manifestum est. Genera igitur, speciesque proprie solum definituntur.

§. 5.

Differentia inter definitionem nominis & rei.

Definitiones itaque nominis & rei, quanquam in eo, sicut audivimus, inter se plane convenient, quod determinatam utraque definiti notionem debet exprimere; in eo tamen vel maxime inter se differunt, quod in definitione nominis definitum incertum adhuc sit, & per definitionem nominis primum determinetur: in definitione enim nominis, sicut per quam accmmodate observat auctor artis cogirandi, voces seu omni significatione destitutae respiciuntur, eisque per definitionem nominis idea certa ac determinata attribuitur; in definitione vero rei definitum jam certum esse censetur, & ita obiecti certi notio determinata exprimi debet.

§. 6.

Definitio nominis in quantum arbitraria sit?

Ex his nunc intelligere est, cur definitio nominis communiter dicatur, & in quantum sit arbitraria. Definitiones scilicet nominum in tantum arbitrariae sunt, in quantum cuilibet liberum est, vocem, quae determinatam nondum ex usu & consuetudine significationem habet, ad significandum quocunque adhibere, ac pro arbitrio determinare. Caeterum non licet, aut saltem inconveniens

niens ac definitionis fini plane contrarium est , vocabulis sensum jam fixum ac usitatum habentibus per definitionem nominis aliam significationem tribuere . De prioribus enim , non autem de posterioribus obtinet , quod de definitione nominis monuimus , ut nimirum ceu omni significatione destitutae respiciantur , ac per definitionem nominis ad certum aliquid significandum pro lubitu determinentur ; nisi forte , quod absit , definitiones nominum , quae claritatis causa adhibentur , obscuritatis ac confusionis fons futurae sint .

§. 7.

Observanda circa usum definitionum nominalium.

Ex his sequentia circa usum definitionum nominalium observanda , ceu totidem corollaria deducimus :

I. Non definienda sunt vocabula , quorum significationem omnibus jam aliunde notam esse , constat .

II. Nec definitioni locus est in vocabulis plane simplicibus , quorumque significata non nisi confusa ex sensatione novimus .

III. Notae receptaeque nominum definitiones facile immutandae non sunt , nisi aliquid in eis occurrat culpandum : culpari tamen in eis nihil potest , quam quod aut 1. ab usu loquendi ulti & sine causa gravi recedatur , aut quod 2. illud , ad quod significandum vox aliqua determinatur , nihil sit seu impossibile , vel saltem non existat , si id porro adseratur .

IV.

IV. Ex quo porro fluit, nec a posita semel nominis definitione facile & sine gravi causa esse recedendum: cum audientes alias vel legentes in errorem facile deducantur, nec verum vocabulorum sensum promte queant adsequi.

§. 8.

Definitiones nominales quandonam potissimum adhibendae sint?

Ex dictis porro colligere licet, definitiones nominales potissimum adhibendas esse

I. Siquae voces peregrinae & iis, quibuscum communicamus adhuc incognitae adducantur.

II. In vocibus valde compositis, quae diversos saepe sensus, diversasque significationes facile admittunt.

III. In vocibus aequivocis & translatis: quales tamen non nisi deficientibus aliis a philosopho adhibendas esse supra jam monuimus.

IV. Denique in vocibus novis, qui rumque usus recenter introductus est, aut quae ad novam saltem significationem sunt determinatae.

§. 9.

Summa definitionum praesertim nominalium utilitas necessitasque.

Caeterum in omni rerum pertractione nihil aequi utile, imo necessarium est, quam accuratae nominum definitiones. Hae enim si con-

tinuo adhiberentur, inanes, ut merito vocantur, lites de nomine cessarent, nec tot vanae inter disputantes forent altercationes. Unde praecclare monet Cicero *L. 1. de officiis Cap. 2. omnis*, quae a ratione suscipitur de aliqua re institutio, debet a definitione proficiisci, ut intelligatur, quid sit, de quo disputatur. Quod egregie praestant Geometrae nihil proponentes, nec demonstrantes aliquid, nisi sensum prius vocum, quas adhibent, adcurate exposuerint. Quam sane insignem docendi, disputandi methodum (ait Corsinus) si philosophis caeteris aemulari libuisset; non adeo de solis vocibus, neque de incognitis, ambiguis confusisque rebus certaretur.

§. 10.

Definitio rei an & in quantum necessaria sit.

Quemadmodum audivimus, definitiones nominum arbitrariorum esse; sic rei contra definitio necessaria esse perhibetur. Et certe, cum rei definitio objecti certi notionem determinatam sistere debeat, notio vero rei determinata ejusdem essentiam comprehendat; eo ipso manifestum est, in definitione rei ejusdem essentiam esse exprimendam: cumque rei porro essentia necessaria sit & immutabilis, quemadmodum in Ontologia demonstratur; & ipsam quoque rei definitionem necessariam esse patet. Quod tamen ita intelligendum non est, ac si ad rem definiendam certis vocabulis necessario uti quis debeat; utpote cum illa signa esse plane arbitraria saepius jam dictum sit. Definitionem tamen rei arbitrariam esse nec immerito contendunt illi, qui rem per determinationes essentiales secundarias seu ut vocant attributa acque,

aeque, ac per essentiales primarias definiri posse,
ajunt.

§. II.

An unius rei unica solum detur definitio realis.

Ex his porro manifestum est, unius rei sub eodem respectu consideratae non nisi unicam esse definitionem, utpote cum unius rei sub eodem respectu consideratae unica solum detur essentia: bene tamen eadem res sub diverso respectu considerata plures habere potest essentias, unde & plures ejus ita consideratae definitiones dari manifestum est. At de his pluribus in Ontologia agemus.

§. 12.

Definitionis Regulae.

Quandoquidem vero definitiones rerum condere, aut ab aliis conditas caeca fide adoptare, periculosa plenum opus sit aleae, regulae quaedam statuendae sunt, ad quas definitiones quaecunque sive a nobis sive ab aliis conditae veluti ad lapidem quandam lydium examinentur: eaeque ex dictis intelliguntur esse sequentes:

Regula I. ac praincipua est: *definitio constare debet genere proximo & differentia ultima.* Definitio enim oratio est notionem rei determinatam exprimens §§. 3. 4. & notio rei determinata genus proximum & differentiam ultimam comprehendit §. 13. Cap. 4. Sed hoc ita porro demonstramus: in definitione rei tota rei essentia exprimi debet, debet enim rei definitio ideam ejus completam & determinatam exprimere. Atqui tota rei essentia est genus

proximum & differentia ultima. Ergo. Minorem, quae ex §§. 6. 7. Cap. 4. satis quidem liquet, hoc modo probamus: tota rei essentia sunt determinations essentialis primariae omnes. Atqui determinations essentialis primariae omnes sunt genus proximum & differentia ultima. Ergo. Probamus ultra minorem: Determinations rei essentialis primariae omnes, omnes quoque sunt, quas vel res cum aliis ad aliam speciem pertinentibus communes habet, vel per quas res ab omnibus aliis ad aliam quamcunque speciem pertinentibus differt & dignoscitur. Atqui determinations essentialis omnes, quas res cum aliis ad aliam quandam speciem pertinentibus communes habet, genus proximum; illae vero, per quas ab aliis ad aliam quamcunque speciem pertinentibus differt & dignoscitur, differentia ultima sunt. Ergo. Unde si cuius notio adeo sit simplex, ut in plures notas genus scilicet & differentiam resolviri nequeat, neque definitioni locus est. Ex quo intelligis, quid sit, quod plane simplicia non esse definienda dicantur. Nec magis illa omnia definire valemus, quorum totam essentiam perspectam non habemus; nisi tamen, quod non immerito quidam arguunt, per adtributa seu per determinations rei essentialis non praecise primarias sed secundarias etiam satis apte definiri quid posse, concedamus.

Regula II. *Definitio non sit negativa.* Quae regula ex eodem porro principio, scilicet quod definitio notionem rei distinctam, completam ac determinatam debeat exprimere, manifeste fluit; in definitione enim negativa solum dicitur, quid res non sit; per hoc autem, quod innoteat solum, quid res non sit, idea rei distincta, completa & determinata nondum obtinetur.

Non

Non est tamen & haec quoque regula ejusmodi, ut nullam plane patiatur exceptionem, nec definitiones negativae unquam tollerandae sint. Tollerandae sunt autem

1. Si ex duobus membris immediate oppositis unum jam fuerit positive definitum. Ut v. g. in Ontologia, postquam ens compositum positive definitum fuit per ejusmodi, quod constat partibus; ens simplex satis saltē definitur, quod nullis partibus constat. Ejusmodi tamen definitiones, quarum non paucae in omni scientiarum genere occur- runt, signum manifestum sunt, obscuritatem ad- huc aliquam in illis subesse, cuius tollendae modus nondum ab aliquo perspectus sit. Unde, si quando positivae loco negativarum a quodam inveniantur, illae eo minus respuendae sunt, quo negativis po- sitivae praestant.

2. Non modo sustinendae sunt definitiones negativae, sed & unicae sunt, quae ibi adhiberi possunt, si nimirum definitum ipsum sit non ens, negativum: sic tenebrae non aliter nisi per absentiam lucis negative scilicet definiri possunt.

Regula III. *Definitio integra debet convenire omni & soli definito*, seu ut alii hanc regulam expri- munt: *definitio nec latior sit nec angustior suo defi- nito*, sed sit cum eo convertibilis ita ut definitum & definitio mutuo sibi possint substitui. Alias enim vel non sufficiet definitio ad definitum in quocun- que statu aut tempore agnoscendum, puta, si angu- stior sit definitio suo definito; vel definitum per definitionem ab omnibus aliis discerni non poterit, si latior nimirum fuerit suo definito. *Clarior ta- men suo definito debet esse definitio*. Unde

Regula IV. In definitione utendum est verbis, propriis fixisque, aut certe jam ante rite determinatis: per verba enim obscura, ambigua ac indeterminata notio distincta in mente haud suscitabitur. Ac porro

Regula V. In definitione non debet idem explicari per idem, nec definitum rursus ponи in definitione: Hoc enim si fiat, idea definiti distincta mediante definitione haud quaquam obtinebitur. Ejusmodi definitionibus scatent scholasticorum libri: sic quantitatem v. g. definiunt, quod sit id, per quod res dicitur quanta, qualitatem vero, quod sit id, per quod res qualis adpellatur. Idem tamen per idem minime explicatur, nec definitum in definitione ponи jure arguitur, si definitum nomen sit complexum, ejusque pars jam ante definita definitionem exinde complexi ingrediatur: ut si, postquam, quid sit Religio, nimirum quod sit modus co-lendi Deum, Religionem exinde christianam definias, quod sit Religio ab ipso Christo Domino instituta.

Regula VI. In definiendo non est committendus circulus vitiosus. Committitur autem ejusmodi circulus, quando definitionem prioris definiti definitum posteriorius, & rursus definitionem definiti posterioris definitum prius ingreditur. Ut si miraculum v. g. definias, quod sit effectus, qui non est naturalis, & naturale rursum definias, quod sit, quidquid absque miraculo fit. Unde patet non unica statim definitione constare, an circulus talis fit commissus; sed ex definitionibus demum non nunquam pluribus inter se collatis id erui debere.

Regula VII. *Definitio tandem sit brevis*, id est nihil contineat superflui. Definitio itaque determinationes quidem essentiales primarias omnes non tamen secundarias exprimat, utpote cum hae in illis jam contineantur, ac inde facilis negotio erui queant. Multo minus autem in definitione determinationes seu notae rei variabiles & accidentales exprimantur: hoc enim si fiat, in descriptionem degenerabit definitio.

§. 13.

Quo modo formanda sunt definitiones?

Cum quod crebro jam dictum fuit, definitio sit oratio distinctam completamque definiti notionem exprimens, manifestum est, eum, qui alicujus definitionem formare cupit, ante omnia eniti debere, ut ejus distinctam completamque sibi prius ipse ideam compareret; quam si exinde verbis rite exprimat, formata est definitio. Unde porro liquet, modum formandi definitiones alium non esse, quam eum, quo & notiones rerum distinctae & completae adquiruntur; qui cum duplex sit, sicut audivimus, alius nimirum a posteriori seu per experientiam, a priori vero seu per determinationem notionum universalium alius, sic & modus formandi definitiones duplex est. Tuitio tamen, & errandi periculo minus obnoxius est ille, quo definitiones a posteriori seu per experientiam, quam quo a priori seu per determinationem notionum universalium formantur; in determinandis enim ideis universalibus facile contingere potest, saepiusque contingit, ut determinationes oppositae combinentur, praesertim si singulae seorsim non nisi confuse fuerint cognitae, & sic definitionis loco voces mente cassae

proferantur, sicut id tristi nimis exemplo docuere scholastici, utpote qui quascunque rerum definitio-nes hac ratione formare adlaborabant. Definitio-nes tandem per analogiam quoque formari queunt. Imo non pauca sunt, quorum definitiones aliter quam per analogiam condi non possunt, quemadmodum nec aliter a nobis cognoscuntur: veluti praeter alia quam plurima sunt Perfectiones DEI infinitae, spiritus perfectissimus.

§. 14.

Canones pro usu definitionum.

Pro definitionum denique usu sequentes a non-nullis canones praescribi solent.

Canon I. *Usus definitionum moderatus sit.* Contra hoc peccaverunt ex antiquioribus aliqui, qui ne olus quidam antea non definitum emere volebant.

Canon II. *Definitionem nominis inter & rei ad-curate distinguendum.* Illa enim, ut audivimus arbitaria, haec vero necessaria est. Neque enim ab hominis pender arbitrio, quam res essentiam habeat, sed haec rei necessaria est.

§. 15.

Insignis definitionum usus, atque utilitas.

Definitionum praeter eum, quem jamjam com-memoravimus, quod rebus scilicet agnoscen-dis & ab aliis discernendis inserviant, alias valde insignis summique momenti usus est, quod de-monstrandi principia & praemissas formandis ra-tiociniis evidentibus aptas suppeditent, fine quibus ita

ista aut non inchoari, aut finiri saltem nunquam pos-
sent: Ex definitione enim deduci demum debet,
quidquid rei vel convenit, vel convenire saltem
potest.

§. 16.

De descriptionibus.

Cum non individua modo, sed & res in specie
consideratae, utpote cum earum essentiae saepe
nos lateant, proprie definiri crebro non possint,
definitionum loco descriptionibus opus est. Quare,
cum de definitionibus hactenus multis a nobis di-
sputatum sit, de descriptionibus modo pauca sub-
jicimus.

§. 17.

Descriptio quid?

Sunt autem descriptiones ejusmodi rei declaratio-
nes, in quibus res exponitur & declaratur, non
per determinationes ejus intrinsecas essentiales, sed
per extrinsecas solum & accidentales, quae vel rei
ad tempus solum, vel etiam constanter quamdiu
existit, contingenter tamen inesse deprehen-
duntur.

§. 18.

Regula descriptionum.

Quanquam res eadem varie quidem possit de-
scribi; descriptionum tamen haec regula ge-
neralis est, quod in quaunque rei descriptione tot
talesque rei notae exprimi debeant, quae ad rem
pro eo saltem tempore ac statu, pro quo describi-

tur, agnoscendam & ab aliis discernendam plane sufficient: secus descriptionis nomine omnino est indigna.

§. 19.

Descriptionum usus.

Frequentem esse descriptionum usum, vel ex eo satis liquet, quod, sicut audivimus, non individua modo, sed & res in specie consideratae proprie definiri saepe nequeant, eas tamen declarari non ideo minus necesse sit, & ita quidem, ut mediante tali declaratione agnosci & ab aliis quoque discerni queant. Unde non probantur nobis systemata illa logica, in quibus de definitionibus multa scrupulose disputantur, de descriptionibus autem altum est silentium.

C A P U T III.

DE DIVISIONE OBSCURITATIS PARITER ET CONFUSIONIS TOLLENDÆ REMEDIO.

§. I.

Divisio quid?

Divisio in genere totius est in partes resolutio. Totum, quod dividitur divisum, partes autem, in quas resolvitur, membra dividentia vocantur.

§. 2.

§. 2.

Divisio quotuplex?

Quemadmodum vero tota, quae dividuntur, varia sunt, sic ipsa quoque divisio multiplex est. Sic, cum totum aliud physicum sit seu reale, metaphysicum vero seu intentionale aliud, & aliud denique logicum; divisio quoque modo physica est, modo metaphysica, & modo tandem logica audit. Totius seu physici seu metaphysici in suas partes resolutio partitio vocatur, totius vero logici in suas partes distributio divisio logica seu proprie talis est.

§. 3.

Partitio physica quid & quotuplex?

Partitio physica est resolutio totius physici in partes physicas, reales seu tales, ex quibus illud vere constat & componitur: haecque rursum duplex est alia scil: qua totum in partes essentiales, qua in partes solum integrantes resolvitur, alia est. Prioris exemplum habes in resolutione hominis in corpus & animam, posterioris vero in distributione corporis humani in tres cavitates, infimam scilicet medium & summam.

§. 4.

Quid partitio metaphysica?

Partitio autem metaphysica est distributio totius metaphysici, quale quoque vere simplex esse potest, in partes metaphysicas seu tales, ex quibus res non vere sed nostro solum concipiendi modo constat; cumque ejusmodi partes, quae ita in aliquo concipiuntur, vel essentiales vel accidentiales

tales esse queant, & haec quoque duplex est. Ut
ziusque exemplum cape ex sequentibus, ubi
homo in animal & rationale dividitur, aut pietas in
homine & eruditio discernuntur. Partitionis meta-
physicae essentialis membra gradus metaphysici
solent adpellari.

§. 8.

*Quid divisio logica seu proprie talis &
quotuplex sit?*

Divisio tandem logica seu proprie talis est to-
tius logici seu notionis cuiusdam superioris
in partes subjectivas seu inferiora distributio, atque
haec quoque rursum varia est, pro diversitate scilicet
partium, in quas notio superior resolvitur.
Etenim notio superior generica v. g. substantiae vel
in suas species, corpus scilicet & spiritum, vel ita
resolvitur, ut eidem notioni superiori genericae
determinationes specierum differentiales disjunctive
addantur: veluti si substantiam vel extensam
vel cogitantem esse dicas.

§. 6.

Quid Analysis, quid Synthesis?

Duo in Recentiorum quorundam systematibus valde usitata vocabula sunt Analysis & Synthesis.
Quare ad quid significandum illa adhibeant paucis exponimus. Ac primo quidem per Analysis aliud non intelligunt, quam resolutionem idearum universalium compositarum in simpliciores, ex quibus quasi constitui concipiuntur: Synthesin vero pro combinatione seu compositione idearum universalium accipiunt. Unde intelligis, Analysis aliud non esse, atque eam, quam modo exposuimus,

mus, partitionem metaphysicam essentialem; synthesis vero ejusmodi divisionem logicam, in qua determinationibus in notione generica comprehensis determinationes specierum differentiales adduntur, & cum illis conjunguntur.

§. 7.

Quid in utraque observandum?

In analysi observare oportet, ne quid, quod in notione seu nomine minime comprehenditur, eidem inesse credatur; cuiusmodi error faciliter saltem evitabitur, si in resolvendis notionibus universalibus ad ideas intuitivas seu sensationes, ex quibus originem trahunt, saepius & adcurate reflectendo respiciatur. In synthesis vero cavendum est, ne vocabula determinations seu notas oppositas significantia conjungantur, quod eo minus contingat, quo notiones singulæ vocabulis quibuscunque respondentes & adfixae diligentius seorsim prius per analysis fuerint examinatae. Unde patet, ordine naturali synthesis analysi esse posteriorem.

§. 8.

Utriusque finis.

Quemadmodum in analysi per varios gradus seu scalas quasi ascendere, sic in synthesis per eas quasi descendere licet, ita tamen, ut utriusque demum finis detur: & analysis quidem in notionibus seu vocibus simplicissimis, & in quibus plura amplius distinguere non possumus: synthesis in individuis finitur.

§. 9.

An in hisce & præsenti in analysi ad finem usque sit progrediendum?

Neque tamen in hisce semper & in analysi præcipue ad finem usque progrediendum est; quantum vero & quoadusque in ea procedendum sit, a fine potissimum seu scopo proposito pender. In metaphysicis, quando prima humanæ cognitionis principia, ejusque limites determinandi sunt, in ejusmodi analysi seu resolutione, quoadusque illud modo possibile est, progredi adeo vituperandum non est, ut illud potius omnino sit necesse: in aliis vero, & quando analysis ex speciali fine instituitur, ultra, quam finis propositus exigit, ascendere luxuriantis, parumque moderati ingenii argumentum esse solet. Per analysis igitur notiones rerum adaequatae; completae & determinatae mediante synthesis adquiruntur.

§. 10.

Quaedam aliae divisionum species.

Restant adhuc aliae quaedam divisionum species.
Ac 1. subjectum per sua accidentia seu modos accidentales vel relationes etiam dividitur, veluti si homines in eruditos & plebejos, vel in superiores & inferiores dividantur. 2. Modus dividitur per sua subjecta v. g. bona vel corporis, vel animae sunt. 3. Causa dividitur per suos effectus v. g. medicina alia calefacit, alia refrigerat. 4. Effectus per suas causas, uti peccatum aliud commissionis, omissionis vero aliud est. Ac 5. demum qualitas per sua
ob-

objecta v. g. amor est vel Dei , vel proximi, vel sui ipsius.

§. 11.

Quid subdivisio? quid membra subordinata?

Quoties divisionis alicujus membrum seu totum consideratum in partes rursus resolvitur, toties subdivisio fieri dicitur: sic , si, postquam ideam in claram & obscuram, distinctam & confusam divisisti, distinctam rursus in completam & incompletam dividis , subdividere diceris. Subdivisionum partes membra subordinata vocari solent.

§. 12.

Quid condivisiones? quid membra coordinata?

Quoties vero idem totum ex diverso tamen fundamento varie dividitur , ejusdem condivisiones fieri dicuntur v. g. cum ideas supra ratione originis in intuitivas & rationales, ratione objecti vero in singulares potissimum & universales , & ratione ipsius modi repraesentandi in claras & obscuras &c. divisimus, tres ideae condivisiones dedimus. Condivisionum partes membra coordinata appellantur,

§. 13.

Quid distinctio nominalis?

Ab enarratis haec tenus divisionum speciebus probe discernenda est distinctio nominalis, quae aliud non est , quam adsignatio diversae significationis , quam vox aliqua seu ex consuetudine & usu jam communis , seu ex unius alteriusve verum ejus sen-

sum detorquentium abusu habet, aut habere saltem potest. Dantur quoque subdistinctiones: quando scilicet ejusmodi vocis significatio adhibita distinctione prima nondum satis determinatur.

§. 14.

Usus & utilitas tam distinctionum nominalium, quam divisionum.

Est autem tam distinctionum nominalium, quam divisionum usus valde insignis ac summa utilitas: etenim distinctiones primum nominales, ut pote cum quodlibet distinctionis nominalis membrum definitio quoque nominalis dici queat, praecidendis logomachiis, finiendisque de nomine litoribus multum inserviunt: a divisionibus vero 1. solidus rerum ordo, seu ordinata partium singularium dispositio dependet, qua nihil in scientiis tum descendis, tum tradendis opportunius ac magis necessarium est. 2. Notionum claritas & distinctionis divisionibus augeretur, & ex distinctione singularium partium cognitione ad cognitionem totius completam facile proceditur. 3. Demum memoriae per divisiones plurimum consulitetur, id quod ex iis, quae de memoria in Psychologia dicentur, uberioris patet.

§. 15.

Divisionum regulae.

Verum quam utiles divisiones distinctionesque nominales esse possunt, si legitimae sint, & opportune adhibeantur; tam contra noxiæ evadunt, si aut vitiosae sint, aut praepostere saltem applicentur. Unde regulis opus est, quibus dirigantur.

tur. Ejusmodi vero regulae pro divisionibus primum facile intelliguntur esse sequentes:

Regula I. *Membris dividentibus exauriri debet totum divisum.* Quae regula aliis verbis sic exprimitur: divisionis membra simul sumta adaequent totum divisum. Totum enim & omnes ejus partes idem sunt. Praeterea, si non omnes totius partes adsignarentur, quaedam earum manerent incognitae, & sic obscuritatem & confusio nem non modo non tolleret, sed potius augeret divisio. Sic bona est divisio numeri in parem & imparem: omnis enim numerus quicunque demum possibilis vel par est, vel impar. Contra vero vitiosa est divisio ejusdem numeri in fractum & quadratum; cum multis sint numeri, qui nec fracti sunt, nec quadrati:

Regula II. *Divisionis membra sunt inter se opposita, unumque alterum excludat.* Unde mala est divisio entis in simplex, compositum & spiritum; utpote cum spiritus ens simplex sit.

Regula III. *Divisio fiat in membra immediatae non sub-aut coordinatae.* Alii hanc regulam ita ponunt: *Divisio non fiat per saltum.* Quod in subdivisionibus quoque observandum est. Contra hanc regulam peccant divisiones sequentes, 1. Idea vel est clara, vel incompleta. 2. Idea vel est intuitiva, vel obscura.

Regula IV. *Quodlibet divisionis membrum totam divisi notionem participet, non autem divisum membrorum.* Ex duplice hac regula corollaria multa valde utilia fluunt: quorum tamen expositionem sicut alia quam plurima, quae de divisione dici adhuc merentur, praelectionibus reservamus.

Regulae hic positae non divisiones modo & subdivisions, sed & partitiones quoque, tres saltem priores concernunt ita tamen, ut prima circa partitiones pro diversitate finis seu scopi exceptionem nonnunquam patiatur.

§. 16.

Observanda pro usu divisionum.

Caeterum circa divisionum usum hic adhuc cum aliis monendum esse duximus; quod divisione scilicet nec in membra nimis generalia, nec in partes etiam nimis minutus fieri debeat: utrumque enim divisionis scopo repugnat. Ac primo quidem, si membra adhuc nimis generalia sunt, claritas & distinctio, quae per divisionem quaeritur, minime obtinetur; si vero partes nimis minutae nimisque multae sunt, earum numerus memoriam conturbat, & obtundit attentionem. Unde recte monet Seneca Epist. 89. *idem habet vitium nimia, quod nulla divisio: & simile confuso est, quidquid in pulchrem sectum est.*

§. 17.

Regulae distinctionum nominalium.

Regula I. *Quodlibet distinctionis nominalis membrum vera sit nominis definitio. Ex hac regula, quac positiva est, alia sequitur negativa quidem illa, non ideo tamen minus utilis ac necessaria.*

Regula II. *Pro distinctione nominali non profervantur voces mente cassae, sed voces fixum significatum habentes. Vitium hoc scholasticorum erat, quemadmodum ejusmodi schemata vocabulorum nihil*

nihil significantium, quae distinctionum tamen loco adliberi volebant, in celeberrimis eorum dialecticis adhuc legere est.

C A P U T IV. DE CATEGORIIS.

§. 1.

Quare de Categoriiis agatur?

Quanquam probe sciam, Categorias in eorum pene censum relatas esse, de quibus vel loci etiam inter aevi nostri eruditos, & triconis simul notam effugere, nemini sit concessum. Ne tamen, quid earum nomine veniat, tyrones plane ignorent, pauca de illis dicere statutum est. Sed & domestica quaedam causa hanc de categoriis pauca differendi necessitatem mihi imposuit. Quare sit.

§. 2.

De notione Categoriae.

Categoriae etymologiam quod adtinet, siquidem Porphyrio habenda sit fides, nomen istud ab Aristotele Peripateticorum Principe ad Gymnasia ab usu forensi traductum est. Praevaluit tamen, ac nobis etiam aliorum magis probatur opinio, qui vocabulum istud a graeca voce κατηγορεω latine praedico aut enuntio derivari censem, ita, ut Categoria idem ac enuntiatio, prae-

dicamentum significet, quemadmodum interpretatur Boëtius. Unde *Categoriae* vulgo definiuntur esse *suprema quaedam genera seu classes in quibus omnia substantiae singularis attributa seu praedicata continentur*. *Categoriarum* tamen aliquando quidem pro tota serie ex superioribus & inferioribus constituta, aliquando vero pro supremo tantum genere cuiusque praedicamenti solet usurpari.

§. 3.

De numero Categoriarum, earumque Auctoriis.

De *Categoriarum* seu praedicamentorum numero tam veteres, quam recentiores admindum inter se discrepant. Plato teste Aristotele *III. Metaphys. cap. 5.* unum tantum admisit omnium genus & praedicamentum. Xenocrates & Andronicus duo statuebant substantiae unum, alterum accidentis: quibus actionis tertium adjecit Valla. Stoici, ut auctor est Plotinus *L. I. Eneade. 6. cap. 29.* quatuor posuerunt: ipse vero Plotinus quinarium *Categoriarum* numerum videtur elegiisse: quem teste Simplicio ad novenarium usque produxit Nicostratus. Archytas tandem Tarentinus, ut plurimi censent, praeeunte sibi Magistro Pythagora ad *Categoriarum* decadem omnia rededit; quem deinde numerum in ordinem digessit, ac certa ratione methodoque pertractavit Aristoteles: Hic, quemadmodum Antecessores suos philosophos discipulorum numero ac nominis celebritate vicit, primusque systematice sua pertractavit, decem illis praedicamentis tantam conciliavit auctoritatem, ut nefas exinde plerisque viuum

vifum sit, denarium hunc Categoriarum numerum velle immutare, aut eidem repugnare.

§. 4.

Quænam sint decem istæ Categoriae?

Categorias vero illas decem sequenti disticho comprehendunt.

Subst. quant. relatio. bualit. actio. passio.
Arbor, sex, servos, ardore, refrigerat uostis

Ubi. quando. situs. habitus.

Ruri cras stabo, nec tunicatus ero.

Verum vel ipsae tamen voces summam Categoriarum istarum barbariem nimis jam produnt, quam ut multis illam ostendere sit necesse.

§. 5.

Decem istarum Categoriarum existimatio apud Peripateticoscholasticos.

Decem has Categorias jam post Aristotelem summam auctoritatem naestas esse, modo commemoravimus, sed nec minor tandem earum apud Peripateticoscholasticos existimatio fuit adeo, ut ab eis aut recedere, aut earum quoque numerum quomodocunque impugnare religioni prope duceretur, utpote cum eas ceu omnis tam sacrae quam profanae Scientiac fontem, ac brevem quasi epitomen revererentur. Unde de ratione tandem, qua denarium hunc categoriarum numerum stabilirent, cogitare cooperunt.

§. 6.

Quanam id ratione evincere conati sunt?

Rationem vero, qua dictum Categoriarum numerum firmare conati sunt, praeter sacratam Aristotelis auctoritatem, a qua vel latum unguem recedere nefandum penes ipsos facinus erat, sequentem adferebant. Tot, ajebant, statuendae sunt Categoriae, quot de re singulari fieri possunt quaestiones; atqui ejusmodi quaestiones de re singulari decem fieri possunt: de re enim quaeri potest 1. quid? 2. quanta? 3. qualisve sit? 4. ad quid referatur? 5. quid agat? 6. quid patiatur? 7. quo in loco? quove 8. tempore sit? 9. quomodo se habeat ad situm? an stet, an sedat, an jaceat? ac tandem 10. quem habitum gerat? an sit togata, an galeata? ergo, occlamabant, ergo decem statuendae sunt Categoriae.

§. 7.

Quid de hac argumentatione sit censendum?

Verum, quam infirmum, quamque omni robre destitutum sit argumentum istud, quod ceu demonstrativum illi jaicitabant, nemo non intelligit. Quodsi enim, quod in majore arguitur, verum sit, tot esse statuendas Categorias, quot de re singulari fieri quaestiones queunt; non decem modo, sed innumerae quasi Categoriae forent statuendae. De re enim singulari v. g. Petro praeter quaestiones modo enarratas multae adhuc aliae possint institui. Sic quaeri adhuc potest de Petro v. g. cuius status sit? an caelebs, an uxoratus? cuius dignitatis? an Rex, an Princeps,

ceps, an censul? cuius conditionis? an civis an peregrinus? &c. Nec obstat, denominationes has esse externas, relativas & morales; utpote cum talium & ipsi, loci scilicet, temporis speciales Categories ponant.

§. 8.

Pernicioſſimur alius Categoriarum abuſus.

Sustineri tamen forte adhuc possent abusus jam dicti Categoriarum; dummodo in ipsis his Categoris non vocesplerumque mente cassas omnique significatione destitutas coacervassent, ac per illas res demum quaslibet definire praesumfissent: etenim, quod bene notat Clericus Praef. Log. 3. 4. quotiescumque de re singulari sermo habendus erat, dispiciebant, ad quodnam universale, aut ad quam Categoriam referri posset; ac de ea ex regulis positis non ex intima rei cognitione loquebantur. Itaque haec dialecticae pars nomenclatura seu dictionarium fuit, cuius ope nomina quaedam rebus imponebant, & memoriter ex regulis seu veris seu falsis ratiocinabantur. Unde, pergit idem, factum est, ut res vulgares admodum & omnibus notas quasi reconditas doctrinas entintiarent, propter artem, ad quam sua dicta exigebant; seu potius propter dictionarium, quo constanter utebantur, & in quo etiam erant voces novae, quibus sermo quotidianus destituti videbatur. Ita si quis quaereret quid sit *homo*? reposuisset Logicus, esse *animal rationale* ex ordine Categoriarum suarum: quod idem erat, ac si dixisset homini imponi nomen *animal*. Quarenti, quid sit *planta*? *Vivens anima vegetativa* praeditum, reposuisset. Sciscitanti quomodo *animal*

mal & vivens different? regessisset, vivens esse genus animalis, animal vero *speciem* viventis, quod hoc reddit, nempe in distributione entium apud philosophos, *vivens* esse nomen generalius, seu quod pluribus tribuitur quam *animal*. Siquis quaesivisset, quid sit *anima rationalis*, quid *vegetativa*? responsum accepisset animam rationalem *hominis*, animam vero vegetativam *plantarum formam* esse *substantialem*. Urgenti nihil reposuisset praeter alia dictionarii vocabula; quibus exhaustis denuo incepisset, si modo in iram non erupisset. Hucusque Clericus.

§. 9.

Abusus isti in quantum per Recentiores sublati sint?

Recentiores servile auctoritatis jugum in tantum quidem excussere, ut denario Categoriarum numero adstringi se amplius passi non sint: Categorias enim Recentiorum aliqui duas solum, substantiae scilicet unam, & accidentis alteram statuere, quibus relationis tertiam alii adjecerunt. Ac septem tandem aliis, aliis sex solum ponere libuit, quas, cui id operaे pretium esse videtur sequentibus inclusas versibus legere poterit:

I.	2.	3.	4.	5.	6.
Mens, mensura, quies, motus, positura, figura					

7.

Sunt cum materia cunctarum exordia rerum.

I.	2.	3.	4.	5.	6.
Mens, corpus, motus, nexus, mensura, figura.					
Scholarum tamen praejudicium, ex Categoriarum scilicet ordine & legibus veras rerum definitio-					
nes					

nes & formandas esse, & dijudicandas, deponere nondum valuerunt; quemadmodum decantata Recentiores inter & scholasticos controversia de vera hominis definitione testatum facit. Et si, quod certum nobis est, Recentiores definitionem hominis *animal rationale* rejiciendo, ejusque loco hanc *substantia seu creatura constans mente & corpore physice unitis* substituendo naturam hominis multo adcuratius exposuerint, Categoriarum tamen usui in acceptis id minime referimus. Quanquam caeteroquin jure arguantur scholastici, quod hominem per animal rationale definiendo contra Categories, & definitionum regulas inde ab ipsis statutas peccaverint.

C A P U T V. D E T E R M I N I S.

§. 1.

Terminus quid?

Voces ad propositionem comparatae, sive quantum propositionem seu subiectum aut praedicatum constituunt, termini vocantur.

§. 2.

Divisio termini in categorematicum, syncategorematicum & mixtum.

Unde, cum voces aliae quidem solae sine aliis, aliae vero non nisi cum aliis subiectum aut praedicatum propositionis esse queant, terminus in categorematicum seu talern, qui solus sine alio, & sync-

syncategorematicum, qui non nisi cum alio quodam subiectum aut praedicatum propositionis esse potest. Termini categorematici sunt nomina substantiva, adjectiva & pleraque participia in casu recto: syncategorematici vero signa tam universalia, quam particularia, de quibus infra, adverbia, in modo nomina quoque substantiva, adjectiva & participia in casibus obliquis. Terminus utrumque tam categorematicum quam syncategorematicum complectens mixtus vocatur: veluti sunt nemo, nihil &c.

§. 3.

Divisio termini in simplicem & complexum.

Terminus categorematicus in simplicem & complexum communiter subdividitur. Terminus simplex dicitur ille, qui rem sine modo significat, ut homo, brutum &c.: terminus complexus ille vocatur, qui rem cum modo indicat v. g. homo doctus, dominus rumae proxima &c.

§. 4.

Observanda circa terminum complexum.

Circa terminum complexum ex arte cogitandi adverte, duo esse additamentorum genera, explicativum scilicet aliud, aliud determinativum. Additamentum explicativum disertius solam explicat, quod in comprehensione termini jam continetur, aut inde saltem fluit, & rei per terminum significatae constanter saltem, licet contingenter competit: veluti sunt ista respectu hominis, ratione praeditus, felicitatis capax, corruptioni obnoxius. Ejusmodi additamenta mere explicativa plerumque sunt

sunt adjectiva terminis singularibus seu individuis addita, v. g. REVERENDISSIMUS AC CELSIS SIMUS PRINCEPS AC DOMINUS HENRICUS &c. Additamentum determinativum est, quod in termini comprehensione nec continetur, nec inde deduci quoque potest, & rei per terminum significatae non nisi in certis circumstantiis, sub certa solum conditione, & sic haud constanter convenit v. g. homo *pius*, *eruditus*, *cera fluens*, *lapis calceatus* &c. Quod ideo monendum esse duximus, quia per additamentum determinativum terminus, cui tale adjicitur, restringitur, minime vero per additamentum mere explicativum. De restrictione autem termini infra audiemus.

§. 5.

Divisio termini in concretum & abstractum.

Terminus in concretum porro & abstractum subdividitur. Terminus concretus est, qui subiectum simul & formam significat: abstractus est, qui solam formam denotat. Est autem forma ejusmodi, a quo aliquid denominationem accipit v. g. albedo, a qua album quid denominatur. Album est concretum.

§. 6.

Concretum quotupliciter possit sumi?

Concretum quidem quadruplici modo sumi potest, concretive scilicet (ut ajunt) composite, specificative seu subjective, & reduplicative seu formaliter. Attamen cum duo priores concretum aliquod accipiendi modi rarum vel

(ut)

(ut verius dicam) nullum plane usum habeant, duos solum posteriores Concretum aliquod accipiendi modos hic exponimus. Et quidem concretum subjective primum sumi dicitur, quando praedicatum, quod de concreto in propositione dicitur, concreto ratione ipsius subjecti non vero ratione formae competit, v. g. in hac propositione: *Episcopus habere potest jus vitae & necis.* Nimirum si Dominus simul territorialis fuerit. Ubi praedicatum habere jus vitae & necis Episcopo non ratione formae, dignitatis scilicet seu ordinis Episcopalis, sed ratione subjecti solum competit. Formaliter vero seu (ut ajunt) reduplicative sumitur concretum, si praedicatum, quod de eo dicitur in propositione, eidem conveniat ratione formae, veluti in hac propositione: *Episcopus praefest Clero.* Ubi praedicatum praefesse Clero Episcopo convenit ratione formae. Unde intelligis, ad di-
gnoscendum, quomodo concretum aliquod sumatur, illud in propositione esse oportere. Concreti formaliter sumti signum esse dicunt, si concreto adjici possint sequentes particulæ: *qua*, *quatenus* &c. Quas & ideo reduplicativas vocant Sic in posita prius propositione: *Episcopus praefest Clero.* concretum reduplicative sumi, signum esse dicunt, quia in resolutione illius propositionis concreto *Episcopus* dictæ particulæ, v. g. *Episcopus qua Episcopus*, seu *quatenus* ordine seu dignitate Episcopali insignitus est, Clero praefest. Concreti vero subjective sumti signum esse ajunt, si manente propositionis veritate in resolutione propositionis dictæ particulæ concreto adjici haud possint, sed earum loco addi potius debeat relativum *qui* v. g. in altera propositione prius adsignata: *Episcopus habere potest jus vitae & necis.* Haec enim pro-
posi-

positio, ut ejus maneat veritas, ita, ajunt, resolvi
debet: Episcopus qui seu, non quatenus Episcopus,
sed quatenus Dominus est territorialis, jus vitae
& necis habere potest.

§. 7.

*Quot & quaenam concretorum genera in scholis
haec tenus distincta sint?*

Quatuor concretorum genera in scholis haec tenus
distincta sunt, concretum scilicet physicum,
metaphysicum, logicum & morale. Concretum
porro aliqui substantiale aliud, aliud accidentale esse
ajunt. Verum haec nobis ejusmodi esse videntur,
de quibus hic saltem filere fatius sit, quam multa
loqui.

§. 8.

*Divisio termini in singularem & communem seu
universalem. Item in univocum, aequi-
vocum & analogum.*

Terminus in singularem rursus & universalem seu
communem, ac communis porro in univo-
cum, aequivocum & analogum subdividitnr. De
singulari & universali; de univoco item & aequi-
voco supra de vocibus jam dictum est. Quare
quinam analogus dicatur, paucis exponimus. Ter-
minus igitur analogus esse dicitur, qui tribuitur
pluribus propter aliquam inter illa analogiam, pro-
portionem aut similitudinem: Sic nomen pedis
analogum est respectu pedis hominis & pedis mens-
iae, quia, quemadmodum pes hominis hominem,
ita pes mensae mensam sustentat.

H

§. 9.

Divisio termini in distributivum & collectivum.

Terminus universalis seu communis ultra vel distributivus vel collectivus esse dicitur. Distributivus ille vocatur, qui pluribus tribuitur ita, ut de singulis seorsim dici queat: Collectivus contra ille appellatur, qui de pluribus, quibus convenit, non nisi simul sumtis praedicari potest. Sic termini v. g. distributivi sunt: homo, brutum &c., collectivi vero: exercitus, civitas &c.

§. 10.

Divisio termini in absolutum & relativum.

Terminus ultra absolutus alias, alias relativus esse dicitur. Absolutus audit, qui intelligi potest sine respectu ad alium, uti homo v. g. Angelus &c. Relativus contra vocatur, qui sine relatione aut respectu ad alium nequit intelligi, v. g. Crea-tura, servus, minor &c.

§. 11.

*Divisio termini in positivum, negativum
& privativum.*

Terminus tandem in positivum, negativum & privativum subdividitur. Positivum nominant, qui reale quid, realitatem exprimit v. g. magnes, ferrum, visio &c. Negativus vero dicitur, qui negationem realitatis, seu formae potius positivae aut realis absentiam denotat: hicque denuo vel privativus, puta, si ejusmodi formae absentiam in subiecto ejusdem capaci, si vero talis for-mae

mae absentiam in subjecto illius incapaci denotet, stricte negativus esse dicitur. Sic caecitas respectu hominis privativus, respectu vero lapidis terminus stricte negativus est.

C A P U T VI.

DE TERMINORUM ADFECTIONIBUS.

Adfēctio termini quid?

Per adfēctionem termini hic aliud non intelligimus, quam certum illius usum, certam unius ad alium, eorumque ad invicem relationem.

§. 2.

Quot adfēctiones terminorum diversae in scholis numerentur?

O^ctō autem diversae terminorum adfēctiones in scholis numerari solent, suntque sequentes: *Oppositio, status, ampliatio, distractio, restrictio, diminutio, alienatio & tandem subpositio.*

§. 3.

Oppositio quid & quotuplex?

O^ppositio terminorum, de qua hic agitur, est duorum terminorum in aliquo pugna; eaque duplex est vel lata scilicet, vel stricte talis. Oppositio stricte talis inter illos terminos dari censetur, qui speciali repugnandi modo sibi opponuntur.

Eiusmodi autem specialis repugnandi modus quadruplex in scholis nec immerito distinguitur, contrarius scilicet, relativus, privativus & contradictorius. Oppositio contra lata inter illos quoque terminos admittitur, qui specialem repugnandi modum non habent, nec aliter sibi opponuntur, quam quod unus non includat alium. Termini late oppositi disparati quoque dici confuerunt.

§. 4.

Quotuplicis generis sint termini stricte oppositi?

Quemadmodum vero, sicut modo audivimus, specialis repugnandi modus quadruplex est, ita termini stricte oppositi quadruplicis generis sunt: termini scilicet contrarie, relative, privative & contradictorie oppositi.

§. 5.

Quid termini contrarie oppositi?

Termini contrarie oppositi sunt, quorum uterque formam positivam exprimit, quarum una tollit alteram. v. g. Calor & frigus. Hae formae si fuerint ejusmodi, ut inter illas media non detur, uti inter paritatem & imparitatem respectu numeri, termini immediate contrarii dicuntur; si vero inter illas forma adhuc intermedia habeatur, sicut calorem inter & frigus media habetur tepiditas, immediate contrarii vocantur.

§. 6.

Termini relative oppositi quid?

Termini relative oppositi sunt, quorum neuter sine ordine seu respectu ad alium potest intellegi

ligi, veluti sunt Pater & Filius, Princeps & subditus, herus & famulus &c.

§. 7.

Quid termini privative oppositi?

Termjni privative oppositi sunt, quorum unus formam positivam, ejus absentiam in subiecto capaci alter significat. Ejusmodi termini sunt vita & mors, visio & caecitas respectu hominis &c.

§. 8.

Termini contradictorie oppositi quid?

Termjni tandem contradictorie oppositi sunt, quorum unus praecise tollit, quod alter ponit v. g. a & — a. Ens & nonens &c.

§. 9.

Usus hujus de oppositis doctrinae.

Ut vero intentum ex hac de oppositis doctrina usum capere quis possit, advertendum est, ex combinatione terminorum inter se oppositorum nasci, quod contradictorium seu impossibile vocamus. Etenim fieri non potest, ut terminis oppositis inter se unitis aliqua in mente notio respondeat; impossibile est enim, ut a — a — a, aut nonens ens esse cogitemus. At cui nulla in mente notio respondet, quodque cogitari non potest, impossibile est seu nihilum. Ergo, quotiescumque termini oppositi combinantur, adest impossibile, nihilum stricte tale. Advertendum porro, ejusmodi contradictionem nunc quidem manifestam esse, ut si dicam triangulum sine angulis: nunc autem latere illam, veluti si dicam figura rectilinea

bangularis, Deus non existens. Manifeste contradicitorum absurdum philosophicum est. In quo autem contradictione latet, chymaeram illud Antiquiores vocare consueverant.

§. 10.

Quid status, ampliatio & distractio?

Terminus pro statu sumi dicitur, si pro tempore per copulam importato accipiatur, v. g. in hisce propositionibus: *Religio Christiana per Apostolos primitus fuit praedicata. Religio Christiana ubique terrarum nota est. Religio Christiana usque ad finem mundi perseverabit, nec portae inferi adversus eam praevalebunt unquam.* Terminus ampliari seu ampliative sumi dicitur, si pro omni plane tempore usurperetur v. g. in hac propositione: *rosa est flos.* Distrahitur tandem seu distractive sumitur terminus, si pro alio tempore sumatur, quam quod per copulam indicatur, v. g. in propositionibus hisce evangelicis: *Caeci vident. Claudi ambulant.* Unde intelligis, statum esse usum termini pro tempore per copulam importato: ampliationem vero esse usurpationem termini pro omni tempore, & distractionem tandem esse usum termini pro tempore alio, quam quod per copulam denotatur. Quanquam has affectiones copulae potius quam terminorum esse, libenter concedamus. Affectiones istas nosse multum juvat ad intelligendum propositionum sensum, sicut infra de propositione audiemus.

§. 11.

Restrictio quid? quid diminutio?

Restrictio est reductio termini a majori ad minor rem extensionem. Ejusmodi autem reductio fieri

fieri potest vel per additionem nominis adjectivi, ut marmor *laevigatum*: vel addendo casum obliquum v. g. *Pallium Petri*. Corona *Imperatoris Romani*: vel per expressionem circumstantiae loci, aut temporis, uti *Episcopus Fuldensis*. Haereses *noviter exortae*: vel per adjectionem denique signi particularis v. g. *quidam pauperes*, *aliqua secta* &c. Terminus communis per praefixionem pronominis demonstrativi singularis evadit. Diminutio termini est acceptio rei per terminum significatae non secundum omnes, sed secundum aliquam ejus partem v. g. si dicam: *Aethiops est albus secundum dentes*. Ubi notandum est, saepe diminui seu diminutive sumi terminum, licet particulae diminuentes minime addantur. Ex termino seu diminuto seu restricto oritur, quod vocant, *dictum secundum quid*, quod ad elidendas Sophistarum argutias probe advertendum est.

§. 12.

Alienatio quid?

Alienatio est translatio termini a propria significacione ad alienam v. g. *rugiet Leo de tribu juda*. Terminos seu voces translatas errorum facile causas esse posse, & ab his proinde abstinentiam esse Philosopho, supra jam dictum est.

§. 13.

Quid subpositio, & quotuplex?

Subpositio est acceptio termini seu (*ut ajunt*) vocis in oratione positae pro suo significato. Duplex vero vocis significatum communiter distinguunt, *primarium* scilicet, reale seu tale, ad quod indicandum

dum vox primitus instituta est, & secundarium, intentionale seu tale, quod praeter significatum vocis primarium eidem per artem postea fuit attributum. Sic esse creaturam constantem mente & corpore physice unitis significatum hominis primarium, esse vero *speciem*, *subjectum* aut *praedicatum propositionis*, significatum hominis secundarium est. Unde Subpositio primum duplex statuitur personalis scilicet & simplex. Subpositio personalis est acceptio vocis pro significato primario; acceptio vero vocis pro significato secundario subpositio simplex est.

§. 14.

Divisiones variae subpositionis.

Subpositio porro personalis singularis alia, alia communis est. Et subpositio *communis* in universalem & particularem, *universalis* in distributivam & collectivam, *distributiva* in distributivam in sensu absoluto & in sensu accommodo, item in distributivam pro singulis generum & pro generibus singulorum, & *particularis* tandem in disjunctivam & disjunctam subdividitur.

§. 15.

Species Subpositionis adsignatae exponuntur.

Ut vero, quid adsignatae subpositionis species esse dicantur, tyrones, in quorum gratiam haec unice adseruntur, mente comprehendant, seorsim illas nunc exponimus. Ac primo quidem subpositio singularis esse dicitur acceptio vocis pro re una certa ac omnimode determinata. v. g. In hac propositione: JOSEPHUS II. Romanorum imperator est; aut

aut etiam in ista: *bis homo inter omnes eminet.*
 Subpositio communis est acceptio termini seu vocis
 communis pro suis inferioribus, & quidem *universalis*, si pro omnibus aut plurimis sicut ex inferioribus;
 si vero pro uno solum alterove ex inferioribus accipiatur, particularis est. Sic subjectum propositionis sequentis: *omnis homo naturaliter appetit beatitudinem.* Universaliter; hujus vero: *quidam pauperes egestatem aequa sustinent.* Subponitur particulariter. Subpositio universalis distributiva est acceptio termini seu vocis pro suis inferioribus seorsim: collective vero pro illis simul summis. Utriusque exemplum datur in propositionibus sequentibus: *Milites ad vim hostium a patria repellendam conscribuntur, & communibus stipendiis aluntur.* *Milites constituant exercitum.* Quarum primae subjectum distributive, collective vero subjectum alterius subponitur. Subpositio distributiva in sensu absoluto est acceptio termini communis pro inferioribus omnibus nullo excepto. Ita distributive in sensu absoluto accipitur subjectum propositionis sequentis: *omnis homo naturaliter aversatur malum.* Subpositio distributiva vero in sensu accommodo est acceptio termini communis pro suis inferioribus non absolute omnibus sed ita, ut unum alterumve inferiorum sit excipiendum: quemadmodum subponitur subjectum hujus propositionis: *omnis homo peccavit in Adam.* Subpositionis distributivae pro singulis generum exemplum habes in propositionibus modo adductis. Subpositionis autem distributivae pro generibus singulorum specimen accipe ex propositione sequenti: *omne animal fuit in arca Noe:* ubi per omne animal non omnia individua, sed animantium solum species omnes indicantur. Subpositio disjunctiva est acceptio termini communis pro uno

alterove solum ex ejus inferioribus ita tamen, ut singula disjunctive enumerando ad illud perveniri queat in quo, sicut ajunt, verificetur propositio. v. g. in hac propositione, *aliquis Apostolus prodidit Christum Magistrum suum.* Subpositio vero disjuncta est acceptio termini communis pro uno alterove ex inferioribus, ita ut singula disjunctive enumerando ad nullum perveniri possit, in quo verificetur propositio. v. g. *Aliquis calamus est necessarius ad scribendum &c.* Quis hic cum Viro quodam celeberrimo, ohe jam satis est! non exclamat? At restant aliqua necessario adhuc exponenda.

§. 16.

Observanda pro terminorum subpositione dignoscenda.

Ad dignoscendam termini cuiuscunque subpositionem adverte sequentia 1. locum termini in propositione: an scilicet subjectum sit, an vero praedicatum: si praedicatum; adverte 2. an propositio adfirmativa sit, an vero negativa. Praedicatum namque propositionis adfirmativae disjunctive, distributivevero subponitur praedicatum propositionis negativae. Si subjectum; adverte 3. an & quale ei signum sit praefixum, an universale, an particolare. Si nullum subjecto signum praefixum sit, ejus subpositio ex sola praedicati ad illud relatione aestimanda est. Si vero signum habeat praefixum, ex signo simul & praedicati ad illud relatione dijudicanda est ejus subpositio. De praedicati tamen ad subjectum relatione infra dicetur.



LIBER